





Muntaner f.t.

(c) 2006 Ministerio de Cultura

B E A T I  
RAYMUNDI  
L V L L I  
DOCTORIS ILLUMINATI  
ET  
MARTYRIS.

L I B E R  
MAGNUS CONTEMPLATIONIS  
in Deum.

JVXTA MOGVNTINAM EDITIONEM  
in folio Anni MDCCXL.

IN VARIOIS TOMOS DISTRIBUTUS.  
Tomus III.

PALMÆ MAJORICARUM  
anno MDCCXLVII.

*Superiorum permisso.*

Typis Michaelis Cerdà & Antich, & Mi-  
chaelis Amoròs Typogr.

# ГЛАВА ВІД ЮДИМОВІЯ

I J L V X

ITAHUMUJI 11907200

2177 5-12-29

1000 1000 1000 1000

REINHOLD MUELLER 25000.00

# MICROBIAL LAKES AND ANDES

2010 RELEASE UNDER E.O. 14176

# MUNICIPALITY OF THE TOWN OF BOSTON

- 1 -

T. 61

BEATI  
**RAYMVNDI**  
 LVLLI  
 DOCTORIS ILLVMINATI  
 ET  
 MARTYRIS  
**MAGNVS LIBER**  
 CONTEMPLATIONIS  
**IN DEVUM**  
 DISTINCTIO XIV.

*De Divino Dominio.*

CAPUT LXVI.

*Quomodo sit conveniens & rationabile nos-  
 trum Dominum DEVUM esse supremum  
 Dominum per exaltationem  
 Nobilitatis.*



*DEVS excellens, Do-  
 mine gloriose, abundans  
 in omnibus bonis! Tuo  
 honorato Dominio de-  
 tur omnis laus & ho-  
 nor & virtus, quia val-*

A

de

de dignum est Te esse nostrum Dominum,  
quoniam es æternus & infinitus & nos su-  
mus principiati & finiti.

2. Quia Tibi , *Domine* , est proprium  
habere infinitatem & Æternitatem, & no-  
bis habere finitatem & principium , est  
valde conveniens , quòd sis noster Domi-  
nus; quoniam valde conveniens est , quòd  
res habentes principium & finem sint ser-  
væ & subditæ rei infinitæ , æternæ & per-  
fictæ sìne ullo defectu.

3. Unde benedicta sit , *Domine* , tua  
magna Virtus & tua magna Bonitas ; quia  
ratione magnitudinis tuæ Virtutis & No-  
bilitatis convenit , quòd sis Dominus om-  
nium rerum , quæ Tibi non sunt æquales  
in Virtute & Bonitate.

4. b. *O benedicte Domine in omnibus re-  
bus!* Cúm sis adeò potens , quòd habeas  
Potestatem super omnia , quæ sunt in *esse*,  
& etiam super omnia, quæ non sunt in *esse*,  
justum & dignum est , quòd sis Dominus  
ratione tuæ magnæ Potestatis, ratione cu-  
jus mereris *esse* Dominus.

5. *Humilis Domine!* Cúm in Te sit omnis Scientia & omnis Sapientia ita , ut nihil sit Tibi occultum , & nulla res extra Te habeat omnem scientiam & sapientiam, dignum est , quòd sis Dominus super omnia Dominia , & quòd omnia sint subdita tuo honorato Dominio.

6. *O Domine gracie, benigne!* Cúm omnis Æquitas & Justitia sit in Te, & in nulla re sit tanta æquitas & justitia, quanta est in Te , ratio requirit & demonstrat Te esse magis dignum Dominio , quàm ullam aliam rem ; quoniam dominium non pertinet ad rem , in qua deficit justitia & æquitas.

7. c. *Beate Domine, plene omnibus bonis!* Qui est Dominus firmamenti & elementorum & omnium animalium & omnium metallorum & omnium vegetabilium oportet, quòd sit abundans omnibus Virtutibus & Nobilitatibus & Honorificentiis.

8. Nam si ita esset, *Domine*, quòd Dominus omnium istarum rerum tam magnarum & nobilium & altarum esset defectuosus

fectuosus in virtutibus & nobilitatibus ; non esset dignum , quòd ipse esset Dominus earum.

9. Igitur , cùm Tu, *Domine DEVS*, sis adeò perfectus in Bonitate & in omnibus Virtutibus , quòd intellectus non sufficiat ad intelligendum , nec aures ad audiendum , nec os ad loquendum , nec oculi ad videndum tuam magnam Bonitatem & tuas magnas Virtutes, dignum est Te esse Dominum omnium rerum , quia es supremus in Virtutibus & in Bonitate.

10. d. Cùm Tu , *Domine DEVS* , sis adeò conveniens & dignus Dominio per multas rationes , valde miror de gentibus mundanis, quomodo possit esse, quòd erubescant Tibi servire & Te honorare in hoc mundo ; quia multi & plerique homines erubescunt amare & honorare Te & servire Tibi ratione hominum mundanorum, qui irrident & reprehendunt eos.

11. Unde , si ita esset, *Domine*, quòd non esses dignus esse Dominus propter aliquos defectus , qui essent in Te , non esset

mirum , si homo erubesceret Tibi servire; sed, cùm sis adeò dignus Dominio, & tuis servis sis adeò magnus adjutor & abundans bonis temporalibus & spiritualibus, est valde mirum , quòd ullus homo erubescat tam nobilem Dominum , sicut Tu es, amare & honorare , & ei servire.

12. *Honorabilis Domine!* Cùm Tu sis adeò abundans Pietate & Misericordiâ & Gratiâ erga tuos subditos , & sis adeò nobilis & mirabilis & virtuosus Dominus, magnam hæresin & ingratitudinem reputo, quòd ullus erubescat amare & honorare Te , & servire Tibi propter homines discognoscentes tuum honorem & beneficium, quod recipiunt à Te.

13. e. *O Domine sancte, gloriose!* Tuum Dominium non movetur nec mutatur nec alteratur nec corruptitur , imò stat firmum & securum ita, quòd nullum aliud dominium sit dignum esse *in esse* nisi tuum.

14. Cùm omnia alia dominia , *Domine*, mutentur, corrrumpantur & debilitentur

6. B. Raym. Lulli Lib. Contempl.

tur præter tuum, ideo est valde rationabile nullum aliud dominium esse in esse , nisi tuum tantum.

15. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia sicut nos mereimur esse servi, & possideri à Te ratione nostrarum miseria-rum & culparum & defectuum , ita & ad-huc multò melius mereris Tu esse Domi-nus ratione magnæ Perfectionis & magna-rum Virtutum, quæ sunt in Te, & quæ ve-niunt à Te.

16. f. *O sapiens Domine , perdurabilis, excellens !* Mirabiliter demonstratur & sig-nificatur Te debere esse Dominum , & nos servos ; quia omnibus modis & rationibus demonstratur Te debere esse Dominum, & nos vasallos & servos & subditos tuo alto Dominio.

17. *Domine DEVS!* Sicut per omnes modos & rationes demonstratur & mani-festatur Te non debere nec posse esse va-sallum nec subditum ulli creaturæ, ita per omnes rationes & causas demonstratur nos non debere esse Dominos, imò debere esse

va-

18. Nam impossibile est , *Domine*, quòd Tu, qui es infinitus & æternus & innocens & totus completus omnibus bonis, sis subditus ulli rei ; quia omnis alia res, præter Te, est finita & terminata & carens nobilitatibus, quæ sunt in Te.

19. g. Sanctitas & Gloria & Honor dentur tuo Dominio , *Domine DEVS*, quia Ratio & Justitia adeò requirunt Te esse Dominum, quòd justum & dignum sit Te esse æquè bene Dominum malorum , sicut bonorum , & rerum vilium , sicut nobilium.

20. Unde, cùm ego sim res adeò viliis & culpabilis, Tibi, *Domine DEVS*, quoad me non est dignum nec justum, quòd sim servus & subditus tam nobilis & alti Domini sicut est tuum; sed, quia Tu mereris esse Dominus omnium rerum, ideo debeo esse tuus servus & captivus, quamvis sim res viliis & misera.

21. Omnes populi & omnes gentes, *Domine*, debent valde lætari de tuo Dominio

minio & de servitute, in qua sunt sub ipsis;  
 quia melior gratia & beatitudo, quam va-  
 fallus possit habere, est, quod habeat bo-  
 num & nobilem & gratum Dominum: igi-  
 tur beati sunt omnes populi, cum habe-  
 ant tam benignum Dominum, sicut Tu  
 es.

22. h. Plorando, suspirando, anxiè con-  
 fitendo pœnitet & reprehendit se, *Domine*,  
 tuus servus de suis gravibus delictis, quæ  
 sunt mirabiliter magna; quoniam fecit  
 duos malos dominos in hoc mundo, qui  
 sunt dæmon, & concupiscentia hujus mun-  
 di; quia propter duos tam viles dominos  
 non debuisset obliuisci nec contemnere  
 tuum honoratum Dominum.

23. Nam, si ego, *Domine*, fuissem sa-  
 piens, non me fecissem vasallum diaboli;  
 quia ipse est adeò mala & culpabilis res,  
 quod non mereatur esse Dominus, imò me-  
 reatur esse captivus & subditus ad susti-  
 nendum perdurabiles pœnas & infinitos  
 labores.

24. *Benigne Domine!* Si ego habuisssem  
 in

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVI.* 9  
in me veritatem & rationem, non fecisse  
meam animam servam desiderii meæ car-  
nis, quia ipsa est multò nobilioris naturæ,  
quàm mea caro, &, quia, qui sequuntur  
desiderium suæ carnis, tormentantur ab  
ipsa: unde maledictus est servus, qui tor-  
mentatur ad complendum desideria sui  
mali domini.

25. i. *Amabilis Domine, celebrate &*  
*culte super faciem terra, & laudate & hono-*  
*rificate in cælis!* Valde magna solicitude  
& labor est vasallo, quando habet multos  
dominos, & maximè, quando domini sunt  
sinè iustitia & veritate & misericordia:  
unde, in quantum servus se facit captivum  
& subditum multorum dominorum, in tan-  
tum magis auget & multiplicat suos graves  
labores & suos magnos dolores.

26. Et cùm ego, *Domine*, fecerim  
meam animam servam multorum malo-  
rum vitiorum, & me totum subdiderim  
multis irrationabilibus & ingratiss homini-  
bus, ut amarer & laudarer ab eis; justum  
est, quòd tormenter & male tracter ab eis;

&

&, sicut ego feci multos malos dominos,  
sic est rationabile, quòd tormenter multis  
tormentis.

27. Sed sicut captivus tormentatus &  
laboribus afflictus fugit à malo domino, ita  
ego, *Domine*, fugio ab omnibus meis malis  
dominis, & omnes ipsos discredо, & nego,  
& relinquо, & ab omnibus exeo, & recurro  
ad servitium & subjectionem & captivita-  
tem tui honorati Dominii, quod nunquam  
malè tractavit ullum suum fidelem ser-  
vum.

28. K. Cúm Ratio & Justitia demons-  
trent, quòd Tu, *Domine D E V S*, debeas  
esse noster Rex & noster Dominus ratione  
magnæ Nobilitatis, quam habes super nos  
omnes, esset rationabile, quòd mea ani-  
ma, quæ est melioris naturæ, quam cor-  
pus, esset domina corporis: igitur, cùm  
ipsa talis non sit, precor Te, ut eam facias  
dominam ipsius.

29. Nam, si mea anima, *Domine*, sit  
domina corporis, eripiar ab omnibus ma-  
lis dominiis & ab omnibus malis dominis,  
&

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVII.* 11  
& non ero servus nec subditus ulli alteri  
Dominio, nisi tuo.

30. Tuo alto Dominio, *Domine DEVS*, detur omnis Laus & Gloria & Ho-  
nor & Benedictio , & dominio hominum  
detur omnis paupertas & omnis defectus;  
quia est malum dominium , & quia ipsi  
discognoscunt tuum Dominium divi-  
num.

## CAPUT LXVII.

10

*QVOMODO DEVS MERETVR*  
*habere Dominium, quia est Benefactor.*

1. **D**ivine Rex gloriae! Tuo sancto Do-  
minio detur gloria & honor; nam,  
quia mereris esse Dominus, voluisti nobis  
dare esse , ut sis noster Dominus ; unde,  
cūm nos receperimus esse à Te, dignum  
est, quod simus tui servi.

2. Omnes debemus, *Domine*, fateri  
& confiteri Te esse nostrum Dominum &  
nostrum Gubernatorem ; quia nihil aliud

præter

12. **B. Raym. Lulli Lib. Contempl.**  
præter Te sustinet nos in esse, imò, nisi  
sustineres nos, omnes periremus & rever-  
teremur in nihilum.

3. Cùm Tu, **Domine DEVS**, admi-  
nistres nobis illa, quæ nobis sunt neceffa-  
ria, dignum est Te esse nostrum Domi-  
num; quia nullus aliis docet nos, quomo-  
do vivamus & quomodo stemus, præter  
Te.

4. b. O vere *Consolator & fidelis Consi-  
liator, Amator noster!* Tu, **Domine**, me-  
reris esse noster Dominus; quia Tu es, qui  
dás nobis fructus in arboribus, de quibus  
comedamus & vinum, quod bibamus; &  
das nobis in bestiis lac, de quo habeamus  
butyrum & caseos, & das nobis animalia  
irrationalia pro carne, de qua capiamus vi-  
tam, & das nobis in herbis semina, de  
quibus habeamus panem.

5. Etiam, **Domine**, debes esse noster  
Dominus, quia das pluvias & ventos &  
calores & frigora, per quæ ea, de quibus  
vivimus, possint generari & fructificare.

6. Tu, **Domine**, das omnia ista &  
multò

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVII.* 13  
multò plura, ut homines vivant: igitur,  
cùm nullus aliis præter Te sit Dator ta-  
lium rerum, est dignum & justum Te so-  
lum esse nostrum Dominum.

7. c. *Dominans Domine, complementum*  
*omnium nostrarum necessitatum!* Sicut ra-  
tione beneficii, quod homines recipiunt à  
Te, est dignum & justum, quòd sis Do-  
minus, ita ratione tui Dominii est dignum  
& justum, quòd homines Te ament & ho-  
norent, & Tibi serviant.

8. Tuum Dominium, *Domine*, sem-  
per facit bonum suis subditis omni modo,  
quo eis est necessarium; quoniam remittis  
& adjuvas & restauras & exaudis homi-  
nines; sed dominium dæmonis non est  
dignum esse super homines, quia dæmon  
est deceptor & falsus & crudelis & ingratus,  
& torquet illos, qui ei se submittunt.

9. Benedictum sit, *Domine DEVS,*  
tuum Dominium, quia non est simile do-  
minio Regum & Principium hujus mun-  
di; quoniam ipsi pro parvo dono, quod  
homini dant, volunt possidere totum ip-  
sum;

sum; & quamvis non dent, nec faciant ullum bonum, tamen volunt, quod homo eos honoret tanquam dominos, & eis serviat in talibus rebus, in quibus non sunt digni, ut serviatur eis.

10. d. *O essentialis Domine, amoroſe!* Sicut eques, qui accepit multa dona & multos honores à suo bono domino, tenetur amare honorem & utilitatem ipsius, & pugnare, & ſe exponere periculo pro ipſo, ~~qui~~oties opus ſit; ita omnes Christiani tenentur exaltare & nobilitare venerationes & honores, quos Tibi decet fieri ab hominibus.

11. Nos videmus, *Domine*, quod pro parva mercede, quam homo dat praeconi, faciat ipsum ire clamando per vicos & plateas: igitur, cum Tu nos adeò obligaveris & exaltaveris super omnes alios homines, dignum eſſet, quod iremus praedicando tuum honoratum Dominium infidelibus, qui illud ignorant.

12. Tu, *Domine*, in quantum ſcis Te dignum, ut ſis Dominus, in tantum Te ref-

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVII.* 15  
respicis obligatum, ut sis Benefactor; &  
propterea es Benefactor multis pauperibus  
peccatoribus; sed non est ita de homini-  
bus, quia multis malis Principibus videtur  
se esse dignos dominio, & non reputant se  
obligatos ad adjuvandum & succurrendum  
suis subditis.

13. e. *Gratiōse Domine, virtuose, patiens,  
pie!* Quantum Tu das & provides nobis  
in nostris necessitatibus, tantum es dignus  
esse Dominus, & adhuc plūs; quia, quātū  
tò es melior & major & nobilior, quām  
nos, tantò magis mereris esse Dominus  
super nos.

14. *Fidelis vasallus & verus servus,*  
*Domine*, in quantum suus bonus Dominus  
plus boni ei facit, in tantum se reputat  
plūs obligatum & subditum ipsi; & in quan-  
tum videt suum Dominum meliorem &  
nobiliorem se, in tantum plūs se submittit  
ad serviendum ipsi.

15. Sed de falso vasallo deceptore non  
est ita, *Domine*; quia, quò plūs suus bo-  
nus Dominus ipsum amat & honorat & ei  
dat,

dat, eò plús se vult æqualificare ipsi & se extollere; & quò meliorem & nobiliorem illum videt, eò plús invidet ei suas divitias & honorationem.

16. f. *Perdurabilis Domine, Complementum omnium bonorum!* Tuum honoratum Dominium est adeò nobile & dignum, quòd non sit intellectus hominis, qui posset æstimare & cogitare & comprehendere debitum & causam, quam omnes populi habent, ut sint servi & subditi ipsi.

17. p. Nam, sicut omnis intellectus humanus, *Domine*, deficit ad intelligendum & comprehendendum magnas gratias & magna bona, quæ fecisti homini, & quæ facis, & adhuc facies, ita nullus posset cogitare & perpendere magnam rationem, quam habemus, ut teneamus Te pro nostro Domino & pro nostro Patre ratione magnorum bonorum, quæ nobis veniunt à Te & per Te.

18. o. Tu, *Domine DEVS*, mereris esse noster Dominus, quia nobis remittis nostras graves culpas, & nobis succurris

in

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVII. 17*  
in nostris necessitatibus; &, quando  
omnia nobis deficiunt, es nostrum refu-  
gium, & nos adjuvas in nostris magnis af-  
flictionibus: unde benedictus sit talis Do-  
minus , qualis es Tu, qui est adeò dignus  
possidere suos populos.

19. g. *Laudate Domine super omnes lau-  
des; amate Domine super omnes amores!* Si-  
cut de majoribus necessitatibus, quas ho-  
mo possit habere, est, quòd non sit servus  
nec subditus dæmoni per peccatum , ita  
de majoribus necessitatibus, quas ipse pos-  
sit habere, est, quòd possideatur à Te, &  
non sit sub alio dominio, nisi sub tuo.

20. Adeò dignum est , *Domine* , Te  
esse Dominum , & nos esse subditos, quòd  
omnis , qui velit esse liber, & non velit esse  
tuus servus , sit servus & captivus diaboli  
& mundi; & omnis, qui velit esse tuus ser-  
vus & tuus captivus, sit liber à dæmonē &  
à vanitate hujus mundi.

21. Maxima sapientia & prudentia ,  
quam homo possit habere, *Domine* , est,  
quòd sit amator tui Dominii , & nullum

B

aliud

aliud dominium tantum amet , quantum tuum ; & maxima stultitia & dementia , quam possit habere , est , quòd velit esse liber & non subditus tuo Dominio .

22. h. *O Benefactor super omnes benefactores ! O Domine super omnes dominos !*  
Omnis populi , qui sunt sub tuo honorato Dominio , debent lætari , & habere valde magnum placitum ex hoc , quòd sint tui subditi ; quia valde magnum est placitum vasalli , quando est vasallus Domini , qui non est servus nec vasallus alterius .

23. Igitur , cùm omnes homines debant lætari , *Domine* , ex hoc , quòd sint tui subditi , & Tu non sis subditus ulli domino , tuus culpabilis servus debet contristari , quia fecit duos dominos , qui sunt servi & captivi alterius .

24. Isti duo domini , quorum me feci servum & captivum , *Domine* , sunt dæmon & mea caro ; & captivitas , sub qua est dæmon , est poena infernalis ; & captivitas , sub qua est mea caro , sunt labores , quos meum corpus sustinet , ut in hoc mundo habeat

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVII.* 19  
habeat perfectionem delectationum, quam  
ei impossibile est habere.

25. i. *O supreme Domine! O suprema Bo-*  
*nitas!* Laudatus sis Tu, qui nos benefici-  
asti tuâ sanctâ Humanitate, quam subju-  
gasti nostrâ Redemptioni & nostrâ Sal-  
vationi, ut nos extraheret à servitute dæ-  
monis.

26. Quòd Tu, *Domine*, captivaveris  
& obligaveris tuam sanctam Humanitatem  
ad nostram Salvationem, repræsentat no-  
bis figura sanctæ Crucis; quia in ea de-  
monstratur Te tradidisse & dedisse ipsam  
omnibus doloribus & omnibus angustiis  
mortis.

27. Omnes tui servi & omnes tui po-  
puli, *Domine*, tenentur laudare tuum sanc-  
tum Dominium; quia per plures modos,  
quàm homo possit cogitare & æstimare, es  
dignus esse Dominus: benedictus sis Tu.

28. K. *Æterne Rex Gloræ, Principium*  
*& Finis omnium rerum!* Non solum de-  
bes esse Dominus hominum ratione mag-  
norum donorum, quæ eis das, sed etiam  
ratione.

ratione parvorum; & adhuc, si fieri posset,  
quod eis nihil dares, deberes esse Dominus  
ipsorum.

29. *Gloriose Domine!* Quoniam tan-  
ta beatitudo & benedictio mihi venit ex  
hoc, quod sim tuus servus, & Tu sis meus  
Dominus, precor Te, ne permittas ullum  
hominem superbum & vanigloriosum esse  
meum dominum, nec meam animam esse  
servam ullius vitii.

30. Tuus servus & tuus famulus, *Do-  
mine DEVS*, fatetur coram omni populo  
Te esse Dominum & Benefactorem, &  
confitetur coram omnibus, nullum aliud  
dominium aliquid valere, nisi Dominium  
divinum.

## CAPUT LXVIII.

*QVOMODO DEVS MERETVR  
esse noster Dominus, quia nos redemit.*

1. a. *O JESV Christe Domine!* Tua ex-  
cellens Essentia laudetur & glo-  
rificetur

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVIII.* 21  
rificetur & celebretur; quia creasti tuum  
populum ex nihilo, & ipsum recreasti tuo  
pretioso Sanguine, quem effudisti.

2. Unde benedictum sit, *Domine*,  
tale Dominium, quale est tuum adeò no-  
bile & perfectum, quod est Dominium  
per Creationem & Recreationem; quia tuâ  
Deitate nos creasti, & tuâ Humanitate  
nos recreasti: igitur nos sumus tui servi  
ex parte tuæ Deitatis, quæ nos creavit, &  
ex parte tuæ Humanitatis, quæ nos rede-  
mit.

3. Omnes homines, *Domine*, debemus  
habere in nostris oribus laudes tui Domi-  
nii & servitutis, in qua sumus sub ipso;  
quia nullum dominium est adeò nobile  
& benedictum, sicut tuum; & nulla servi-  
tus est adeò honorata & proficua, sicut  
nostra.

4. b. *O JESV Christe Domine!* Bene-  
dictus sis Tu, qui emisti omnes tuos popu-  
los jejunii & orationibus, paupertate &  
laboribus, flagellis & vulneribus, lacrymis,  
sanguine & morte.

5. Cúm

5. Cúm Tu, *Domine*, emeris tuos populos omnibus istis doloribus & languoribus & pluribus, aliis; non est mirum si sis Dominus ipsorum ; quia multos homines video emere alios pro denariis, ut sint captivi & mancipia eorum , & eos possidere & esse dominos: igitur, quantò plus Tu debes esse noster Dominus, qui tuo benedicto Corpore nos emisti?

6. Sicut, *Domine DEVS*, quidam homines emunt alios Syngraphâ , in qua faciunt mentionem de denariis , pro quibus illos emunt, ita Syngrapha, quæ facit mentionem pretii , quo nos emisti , est Crux, quæ demonstrat, quale fuerit premium, quo nos emisti: unde benedicta sit talis Syngrapha ; quia quoties eam video , toties facit me memorare tuum honoratum Domini- um & meam magnam servitutem.

7. c. O *Domine honorate*, o' *Domine laude*, o' *Rex Glorie*! In Te cognoscatur & sciatur Paternitas , & Filiatio, & Processio sancti Spiritus ; quia voluisti , quòd sancta Humanitas, quam assumpsisti, venderetur,

ut

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVIII. 23*  
ut nos essemus liberi à dæmone, & essemus  
tui empti.

8. Homo, qui emit captivum, non  
emit eum, ut sit liber, imò emit cum, ut  
sit suus captivus; sed Tu, *Domine*, emisti  
nos, ne essemus captivi maligni domini, &  
ut essemus liberi à captivitate, in quam ce-  
cidimus per nostrum Patrem Adamum.

9. Igitur quodnam dominium & quæ-  
nam emptio assimilantur tuo Dominio &  
Emptioni? quoniam Tu, *Domine*, es Do-  
minus, ut sint liberi omnes illi, quos emisti,  
& omnes alii domini emunt homines, ut  
sint sui servi & captivi.

10. d. *Singularis Domine, virtuose, pie,*  
*amoroſe!* Sicut nullus homo posset per-  
cipere & comprehendere magnum preti-  
um, quo emisti tuum populum, ita nullus  
posset intelligere & scire magnam servitu-  
tem, in qua sumus sub tuo honorato Do-  
minio.

11. Et, sicut in Te, *Domine*, signifi-  
catur & demonstratur altum & magnum  
Dominium per Nobilitatem divinæ Esse  
tix,

24 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
tiæ, ita significatur in nobis magna servitus per magnitudinem pretii quo sumus empti.

12. Gloriose Domine! In quantum intelligitur in humano intellectu Te esse nobilem & altum & bonum, in tantum intelligitur magnum esse Dominium, quod habes super nos; & in quantum nostra fragilitas & paupertas & miseria demonstratur magna in nobis, in tantum demonstratur magna servitus in qua sumus sub tuo gratioso Dominio.

13. e. Domine prime, Domine postreme, Domine magne, Domine fortis, Domine honorate, Domine mirabilis! Cum ita sit, quod sis perfectus Dominus, conveniens fuit, Te emere tuum populum caro pretio, ut nos essemus in extrema servitute, in qua possit esse ulla res ratione emptionis factæ pro magno pretio.

14. Cum Tu, Domine, debeas esse Dominus in supremo gradu Dominii, convenit tuum populum esse sub tuo Dominio in supremo gradu servitutis, qui esse possit;

&

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVIII. 15*  
& propterea oportuit nullam rem esse emp-  
tam adeò caro & bono pretio , sicut tuus  
populus , qui fuit emptus tuâ benedictâ  
Carne & tuo pretioso Sanguine & tuis la-  
crys plenis pietate.

15. Ut nostra servitus esset major,  
fuit conveniens , *Domine* , quòd pretium,  
quo nos emisti, persolveretur in meliori &  
nobiliōri tempore , quod homo possit ha-  
bere: unde , cùm melius tempus hominis  
sit à triginta annis usque ad quadraginta,  
ideo placuit Tibi nos emere in illo tempo-  
re , quod est melius omni alio tempore  
ætatis & vitæ hominis.

16. f. *O Rex Regum, o' Domine Dominorum!* Tu scis, quòd , quando vasallus susti-  
net pro amore sui boni Domini famem &  
fritim & nuditatem & paupertatem & an-  
gustias & labores & ignominias & irrisio-  
nes, sit rationabile suum Dominum esse ei  
gratum & ei dare præmium.

17. Igitur , cùm Tu , *Domine* , pro  
amore tui populi sustinueris tot tribulatio-  
nes in hoc mundo, & taliter fucris vilipen-  
sus

sus & contemptus & tormentatus & mortuus , quantum tenetur tuus populus Te honorare & amare, & Tibi servire ?

18. Cogitando & perpendendo, *Domine*, isto modo demonstratur humano intellectui magnum Dominium, quod debes habere super omnes populos, & magna servitus, in qua omnes sumus obligati ad obediendum honorificentiis & mandatis tui honorati Domini.

19. g. *Æterne Domine, infinite, perdurable!* Adeò magna ratio & justitia est Te esse Dominum & nos vasallos , quòd non sit ullus homo, qui posset cogitare nec æstimare ullam inconvenientiam & injuriam in hoc, quòd sis Dominus , & nos vasalli.

20. Nam, si omnes homines, *Domine*, in hoc mundo infinitè viverent & cogitarent & perpenderent, an possent invenire ullam rationem , quare ipsi non deberent esse servi , & Tu Dominus , inter omnes non possent invenire unum momentum nec unum punctum temporis, in quo deberent

rent esse liberi à tuo Dominio.

21. Igitur, cùm in tempore non pos-  
sit esse privatio tui Dominii nec nostræ ser-  
vitutis, *Domine*, infinitè est proprium Ti-  
bi, quòd sis Dominus, & nobis, quòd si-  
mus tui servi & tui empti.

22. h. *O Gloriose Domine, Vne in Trini-  
tate, & Trine in Vnitate!* Quot homines  
facti sunt mei domini in hoc mundo, qui  
nunquam me emerunt, nec mihi dederunt  
ullam rem, nec me honorarunt, nec  
amarunt, nec aliquid aliud fecerunt, prop-  
ter quod deberent esse mei domini, sed  
ego per meam ignorantiam & stultitiam  
feci eos dominos mei?

23. Unde de majoribus insaniis & stul-  
titiis, quæ possint esse, *Domine*, est, quòd  
me fecerim servum & captivum illorum,  
qui non sunt digni esse domini, & fugerim  
à tuo Dominio, quod per tot rationes est  
dignum possidere me.

24. Domini, qui me possederunt in  
hoc mundo, *Domine*, sunt homines mun-  
dani vanigloriosi, qui non merentur hab-  
re

re ullum dominium magnum nec parvum,  
cūm Tu merearis habere omnia dominia:  
igitur quomodo fui adeò insanus, quòd  
fecerim tam malos dominos, & reliquerim  
pro eis tam bonum Dominum, sicut Tu  
es?

25. i. *Domine fortis super omnes fortitudines, Domine potens super omnes potestates!*  
Si homo, qui emit bestiam in foro, ligat  
& dicit eam in domum tanquam suam:  
¶ Itur Tu, qui emisti in Cruce tuum popu-  
lum, liga amore corda ipsius, & duc eum  
in domum perdurablem.

26. *JESV Christe Domine!* Si capti-  
vus emptus pro denariis non habet ullam  
**excusationem** ad omitendum labores;  
quos suus dominus ei mandat; quis ex no-  
bis erit excusatus, si sit otiosus in tuis lau-  
dibus, & in diffundendo tuas honoratio-  
nes per mundum, cūm nos emeris lacera-  
tione tuæ Carnis & effusione Sanguinis &  
lachrymarum?

27. Cūm per multas rationes sim tuus  
servus & tuum inancipium, precor Te, Do-  
mine,

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIV. Cap. LXVIII.* 29  
mine, ne sinas me esse otiosum in modico  
nec in multo in ulla re, quæ sit ad tuam  
honorationem ; quia nolo esse liber, quo-  
niām, sum servus; & nolo esse otiosus, quo-  
niām sum obligatus ad negotiandum &  
operandum & procurandum , quòd homi-  
nes **Te** ament & **Tibi** serviant.

28. K. *Virtuose Domine, amate super om-  
nes amores, desiderate super omnia desideria !*  
Multi homines sunt, qui emunt parvo  
pretio rem multò meliorem prétio , q[uod]  
eam emunt ; sed Tu , ut melius merearis  
esse noster Dominus, hoc non fecisti, quia  
dedisti magnum & nobile pretium pro no-  
bis , qui respectu pretii sumus res viles &  
miseræ.

29. *Unde, quamvis simus viles & mi-  
seri respectu pretii , quo nos emisti, precor  
Te, Domine, ut Tibi placeat meliorare &  
nobilitare nos taliter , quòd fiat conve-  
nientia inter nos & pretium , quo sumus  
empti , ita, ut , quoniam pretium est bo-  
num & nobile , simus fideles & boni ; quia  
semper est honor Domini , quòd sui va-  
lli*

lli sint boni & fideles.

30. In præsentia omnium coram tuo Altari & coram figura veræ Crucis, in qua me emisti, confiteor & fateor, *Domine*, *Te esse meum Dominum & meum DEVVM*, & me esse tuum servum & tuum emptum, qui confidit in Te, quòd ei dabis gratiam ad ducendum ad perfectionem alias Distinctiones futuras, sicut ei dedisti gratiam ad istam, quæ tractavit de tuo Dominio divino.

DISTINCT.



## DISTINCT. XV.

## DE DIVINA SAPIENTIA.

## CAPUT LXIX.

QVOMODO DEVS SIT SAPIENTIA.  
*ens in sua Essentia.*

I.  
2.



*EVIS honorate, laudate,  
amate, gloriose! Benedi-*  
*citus sis Tu, qui habes  
perfectam Sapientiam  
in omnibus rebus in  
hoc, quod tua Voluntas  
velit omnia bona, &  
tua Potestas sciat omnia ipsa facere, &  
tua Sapientia sciat facere omnes nobilitates  
& omnes bonitates.*

2. Quia in Te, Domine *DEVS*, sunt  
omnes Nobilitates & omnes Virtutes per-  
fectæ, convenerunt esse in Te perfectam Sa-  
pientiam; sed, quia nos habemus defectum  
nobi-

nobilitatis & virtutum , ideo deficit in nobis perfectio Sapientiae.

3. Ratio, quare in Te, Domine, est perfecta Sapientia , & in homine non est perfecta , est, quia tuæ Virtutes & tua Bonitas non sunt terminatæ, imò est infinitum, quidquid est in Te; sed, quia sensus humani sunt terminati, convenit virtutes, quæ sunt in homine, esse terminatas: igitur ratione terminationis sensuum humanorum convenit sapientiam in homine esse terminatam.

4. b. O Domine sapiens in omnibus, que sunt, & fuerunt, & erunt ! Ratio, quare homo habet defectum scientiæ , est inæqualitas suorum sensuum intellectualium; quia vel habet nimis magnam animositatem vel nimis parvam, vel habet nimis grossam conscientiam vel nimis subtilem, & sic de aliis sensibus.

5. Quia sensus humani sunt terminati, & sunt in homine vel in nimis parva quantitate vel in nimis magna , ideo homines non sciunt operari & facere id, quod

quod faciunt ordinatè & perfectè ; quoniam vel faciunt nimis multum vel nimis parum, vel nimis citò vel nimis tardè ; sed de tua benedicta Sapientia , *Domine*, non est ita , quia omnia , quæ facit, facit in illa dispositione , quæ decet , & convenit veræ ordinationi & dispositioni.

6. Tua divina Essentia , *Domine* , est Natura adeò ordinata & perfecta , quòd nulla inordinatio generetur in ea, imò , quidquid facis , vadat per cursum Sapientiæ , & nihil inclinetur nec flectatur ad stultitiam & ignorantiam ; sed non est ita de humana essentia, quia sumus adeò inordinati per peccatum in nobis ipsis , quòd fere omnia, quæ facimus, vadant per cursum stultitiae & ignorantiae & insaniæ.

7. c. *O Domine sancte , alte, misericors !*  
Tua honorata Sapientia habet adeò magnam Fortitudinem & Virtutem, quòd nunquam ullus homo , quantumcunque sciret & magnam falsitatem haberet, Te potuerit decipere parum nec multum , nec Tu unquam feceris ullum defectum , nec per-

C

dideris

dideris aliquid, quod ad Te pertineret.

8. Tuæ sanctæ Sapientiæ, Domine DEUS, sit gloria & honor, quia omnes aliæ sapientiæ exœunt & derivantur ab ipsa; & quæcunque sint, sunt vanæ & fragiles respectu ipsius.

9. Adeò magna est tua Sapientia, Domine, quòd, quotiescumque velimus æquare nostram tuæ, cadat in nos defectus sapientiæ, & simus stupidi & nescii & fali & absque omni sensu & intellectu; &, quando Tibi attribuimus omnem sapientiam & nobis omnem ignorantiam & miseriariam, tunc nostra sapientia crescit & multiplicatur in nobis.

10. d. *Domine obedite, Domine invocate, Domine honorate!* Quia tua Sapientia est suprema, & insipientia & stultitia, quæ est in hominibus mundanis, est major, quæ esse possit; ideo omnes, qui sunt sapientes apud Te, reputantur stulti & ignorantibus in sapientia mundi, & omnes, qui reputantur sapientes in mundo, sunt stulti apud Te.

i i. Igitur

11. Igitur secundum hoc sequitur, *Domine*, quod vera sapientia non sit in mundanis hominibus, quamvis appellantur sapientes, immo sit in hominibus, qui a mundanis appellantur stulti.

12. Unde benedictus sis, *Domine Deus*, qui mihi dedisti cognitionem, per quam nunc reputo fatuos homines, qui me reputabant sapientem tunc, quando faciebam stultias; & reputo sapientes illos, qui me reputabant stultum, quando me videbant esse inobedientem tuis mandatis.

13. e. *Gubernator Domine, Factor omnium bonitatum!* Si Tu scis Te ipsum esse totum sapientem ratione perfectionis, quae est in tua Bonitate, ego scio me ipsum esse stultum & nescium ratione defectus bonitatis.

14. Ratio, quare me sentio, *Domine*, stultum & nescium, est, quia sentio potentiam sensitivam mihi dare voluntatem & inclinationem ad amandum me ipsum plus, quam Te & meum proximum, & per istam

voluntatem me sentio intrare in stultitiam  
& exire de sapientia.

15. Unde, cūm ego, *Domine*, sim mihi natura, quæ me inclinat ad stultitiam, & me deviat à sapientia, oportet, quòd si velim esse sapiens, me vertam ad Te, in quo est Sapientia, & non sequar naturam, quæ mihi venit à potentia sensitiva.

16. f. *O Domine virtuose, grate, juste, vere!* Cūm Tu sis Fons Sapientiæ, à quo omnes aliae sapientiæ derivantur & nascuntur & generantur, & ego sim fons culpæ & peccati & stultiæ; placeat Tibi mihi dare tantam sapientiam, quòd sequar virtutem & sapientiam, quæ descendit & derivatur à tua Essentia, & non sequar corruptionem & malignitatem, quæ descendit à mea magna stultitia.

17. Si Tibi, *Domine DEVS*, placet mihi dare gratiam, ut haberem tantam sapientiam, quòd nollem ire secundum cursum meæ naturæ; & vincerem me ipsum, ego essem sapiens, quamvis haberem passionem & laborem in vincendo me ipsum;

ipsum; &, quanto major esset labor, quem sustinerem in vincendo meam naturam, tanto major esset mea sapientia, quia plus meriti inde haberem.

18. Igitur, cùm egomet sim natura defectus sapientiæ, Tu vides, *Domine*, quòd non sufficiam ad vincendum meam stultam naturam; & ideo oportet, quòd à Te, qui es Fons Sapientiæ, descendat in me potestas & natura, per quam sim victor meæ gravis stultitiae.

19. g. *O Splendor omnium lumen! O Lumen omnium splendorum!* Major dementia & stultitia & magis contraria sapientiæ mihi videtur esse hominem captivare & submittere se ipsum rei, quæ sit serva & captiva peccati & ingratitudinis: igitur ego, *Domine*, non habui ullam sapientiam, quia me subinisi hominibus peccatoribus, qui sunt servi & captivi sui ventris & vanitatis hujus mundi.

20. Quando homo, *Domine*, est vasallus rei servæ, in quantum crescit servitus sui domini, in tantum crescit servitus vasalli:

vasalli: igitur, cùm ego fecerim meam animam servam corporis, quod est captivum tot fragilitatum & miseriārum & defectum, quantum corpus est subditum ad sustinendum omnes istas passiones, tanta est captivitas meæ animæ.

21. Unde, cùm per defectum sapientiæ & per magniam abundantiam stultitiae captivaverim meam animam subdendo eam corpori, & per magnam captivitatem, in qua est corpus, mea anima devenerit in tam gravem servitutem, suplico,  
**Domine**, tuæ benedictæ Sapientiæ, ut oculis Misericordiæ respiciat meam animam, quæ tantopere est turbata.

22. h. *Suavis Domine, simplex, pie, abundans Misericordiâ & Justitiâ!* Omnem hominem, qui velit esse sapiens, oportet habere in se scientiam & amorem & fidelitatem; quia sinè istis tribus rebus nunquam poterit invenire sapientiam: igitur propterea fuit tanto tempore sapientia absens à me, quia istæ tres res non erant in me.

23. *Qui vult invenire sapientiam in hoc*

*Vol. I. Lib. II. Dist. XV. Cap. LXIX.* 39  
hoc mundo, *Domine*, tradat se ad sustinen-  
dum dolores & fletus & paupertates & tri-  
bulationes pro laude & amore & honore  
tuæ honoratæ Sapientiæ.

24. Qui vult esse sapiens, *Domine*,  
oportet, quòd faciat distinctionem inter  
bonum & malum, & faciat comparatio-  
nem inter majus & minus bonum, & inter  
majus & minus malum; & oportet, quòd  
relinquat malum & acceptet bonum, &  
citiús eligat majus bonum, quàm minus,  
& minus malum, quàm majus; sed ego  
feci contrarium omnium istorum, qua-  
propter fui stultus super omnes stultos &  
nescius super omnes nescios.

25. i. O sancta Sanctitas! O perdurabi-  
lis Perdurabilitas! O gloria Gloriosa! Qui  
vult beneficiari à sapientia, oportet esse ta-  
lem, quòd sciat facere distinctionem inter  
possibile & impossibile, & credat id, quod  
est possibile, & discredat id, quod est im-  
possible.

26. Qui vult impleri Sapientiæ, *Do-  
mine*, oportet, quòd Tibi attribuat omnipotem  
per-

perfectionem Bonitatis & Virtutum & nullum defectum, & attribuat & det sibi ipsi omnem defectum & omnem paupertatem & omnem paucitatem & omnem misericordiam.

27. Per talem modum, *Domine*, quem homo accipit in se cognoscendi & attribuendi Tibi omnem Bonitatem, & sibi ipsi omnem defectum, devenit sapiens & virtuosus; & quod maiorem Bonitatem homo Tibi attribuit, & quod plus cognoscit in se defectum, eodem plus crescit & multiplicatur in eo sapientia.

28. K. Tibi, *Domine misericors*, detur & cognoscatur Gloria & Honor, & omnibus illis cognoscatur sapientia, in quorum corde perseverat vera Fides & vera credentia, & habitat amor & spes in tua Misericordia; & omnes illi dicantur sapientes, qui habent in ore laudes tuæ Sapientiæ, & orationes & veritates & gratias propter magna bona, quæ facis tuis servis.

29. Qui vult esse sapiens, eat, *Domine*, inter homines stultos & nescios, quia ab ipsis

ipsis poterit accipere divitias, quas poterit effundere & dare inter homines sapientes & inter pauperes.

30. Qui vult esse stultus & privatus sapientiâ, eat, *Domine*, ad dandum suas divitias hominibus divitibus & discognoscentibus, & nihil det pauperibus nec sapientibus, qui contemplantur in tua Sapientia divina.

## CAPUT LXX.

### QVOMODO DEVS SIT SAPIENS in omni eo, quod facit.

1. **O** *DEVS* magne & fortis, alte, mirabilis! Tuæ sanctæ Sapientiæ detur gloria & honor; quia, sicut fluminibus & aquis decurrentibus est proprium ire ad mare; ita, *Domine*, tuæ Sapientiæ est proprium ire ad omnem ordinationem & perfectionem & bonitatem.

2. Unde, quia tua Sapientia, *Domine*, habet talem proprietatem, coavenit, quòd in

in omnibus, quæ creas & facis, opereris sapienter, & in omnibus sit tua Sapientia.

3. Et, quia nos, *Domine*, sumus Tibi culpabiles & pleni peccato, accidentaliter eximus ab ordinatione, in qua tua Sapientia nos posuit, & intramus in disordinationem in omni, quod facimus sive comedendo sive bibendo sive vestiendo sive loquendo sive in quibuscumque aliis rebus.

4. b. *Domine*, cui debetur sanctificatio & celebratio & adoratio & servitium! Adeò sapienter operatus es in omnibus, quòd propter magnam vim Sapientiæ ordinatio-  
nis, quam posuisti in omni, quod creasti & fecisti, nulla alia res possideat ullam re-  
rum, quas creasti & fecisti; nec ulla res  
sit digna esse libera à tuo Dominio.

5. Et, quia nos, *Domine*, habemus paucam sapientiam, & multam stultitiam & ignorantiam, sunt inter nos alii servi aliorum; sed ista servitus non est essentia-  
lis, imò est accidentalis; quia, nisi defec-  
tus

tus sapientiæ esset in nobis, nullus homo esset servus alterius.

6. Unde benedicta sit, *Domine*, tua Sapientia, quæ ordinavit, quòd quoties faciamus bona opera, simus sapientes per naturam & per proprietatem tuæ Sapientiæ; & quoties faciamus mala opera, simus stulti accidentaliter per naturam nostri defectus & stultitiæ, quæ est in nobis per accidens.

7. c. *Æterne Domine*! Tibi cognoscatur Virtus & Nobilitas & Sapientia; quia adeò magna profunditas Sapientiæ est in Te, quòd per ipsam creaveris hominem in libero arbitrio, & ipsum facias devenire ad omne id, quod est ei prædestinatum, quin per hoc sequatur ipsum non esse ordinatum ad meritum gloriæ vel pœnæ.

8. Unde magna est tua Sapientia, *Domine*, quia non est ullus homo, qui posset imaginari & comprehendere, quam magna sapientia sit creare hominem, & facere ipsum devenire liberâ voluntatate ad id, quod est ei prædestinatum, secundūm  
quod

quod est prævisum in tua Scientia esse futurum.

9. Unde benedicta sit, *Domine*, tua magna Sapientia, quæ hominem liberè facit esse & operari, & facit eum venire ad id, quod est ei prædestinatum ita, ut non veniat coactus nec constrictus, immo veniat totaliter liberè, ut sit subjectus merito gloriæ vel pœnæ.

10. d. *Juste Domine sapiens, Recreator Mysteriis!* Gloria & honor fiant tuæ honoratæ Sapientiæ, quæ posuit in ordinatione & & in natura & in consuetudine, quòd omnis homo, qui amat & laudat & timet Te & servit Tibi, sit sapiens; & omnis, qui Te non amat nec honorat nec Tibi obedit, sit stultus & insipiens super omnes insipientias & stulticias.

11. Et istam talem ordinationem, *Domine*, placuit tuæ Sapientiæ ordinare, ut illi, quos facis ire per cursum & consuetudinem sapientiæ, habeant gloriam & benedictionem perdurablem, & illi, qui eunt per vias & consuetudines stulticiæ, habeant pœ-

pœnam & tormentum perdurable.

12. Cùm tua operatio, *Domine*, sit in adeò magna regula Sapientiæ, & in adeò magna profunditate Scientiæ & Jus-  
titiæ, omnes debemus lætari & consolari in ipsa; &, cùm nos simus in adeò magno defectu sapientiæ, & simus adeò pleni stul-  
titiâ, omnes debemus pavere & timere à nostris insipientiis & stultiis.

13. e. O Princeps Principum! O Domine Dominorum! Qui vult esse sapiens & plenus sapientiâ, non supereft ei aliud consilium, nisi dare Tibi, quidquid habet, & nihil sibi retinere; sed aliqui stulti sunt, qui aliquid Tibi dant, & aliquid sibi reti-  
nent de rebus, quas possident; & quia Tibi dant, putant excusari de eo, quod eis re-  
manet: igitur isti tales non habent per-  
fectam sapientiam, quia sibi aliquid reti-  
nent.

14. Sed, si ipsi, *Domine*, Tibi darent omne, quod habent, & omnes vires suæ animæ & suorum membrorum, tunc essent sapientes & essent excusati apud Te.

15. Nam

15. Nam tua Sapientia, Domine, non vult ullum hominem sibi retinere aliquid, quod possit Tibi dare, imò vult totum habere; & tua Sapientia non vult de ullo homine plús, quam ipse possit, &, quod non potest dare nec operari, tua Sapientia non vult habere.

16. f. Domine amabilis, Domine honore, Domine amate, Domine amice omnium tuorum benevolorum! Sicut bonus artifex placuit prietem per lineam rectam, ne obliquetur; ita omne id, quod creasti & fecisti, creasti & fecisti per regulam Sapientiae, ut nullus defectus sit in tua operatione; sed non est ita de tuo servo, quia omnia sua opera tempore præterito fuerunt extra regulam sapientiae, & iverunt per viam insipientiae & defectus.

17. O Domine DEVS! Quoniam ita est, quod meum principium & mea juventus fuerit in via stultitiae & in operibus peccati, peto à Te gratiam, ut mihi des tantam sapientiam, quod mea senectus & meus finis sint in via sapientiae, ut possim esse

esse laudator tuæ Sapientiæ.

18. Cúm magna sapientia sit, *Domine*, ire per vias planas & securas, & in societate hominum sapientum, peto à Te gratiam, ut me extrahas à societate malorum hominum & à potestate dæmonum & à viis obliquis & periculosis.

19. g. Qui sapienter vult operari, *Domine*, debet prius respicere, ad quid operatio veniet, & quâ intentione fiat, & postea poterit percipere, an sequetur bonum vel malum ex sua operatione; sed ego non habui istam sapientiam, quia, quando mihi veniebat voluntas faciendi aliquid, statim faciebam illud.

20. Quando sapiens homo, *Domine*, tentatur à dæmone vel ab aliquo malo homine, ut faciat malum, se assecurat in sua sapientia & in sua firmitate, & non se moveat ad operandum nec ad faciendum aliquid per talem admonitionem: igitur ego non fui sapiens, quia me movi ad operandum vanitates & vilia opera, quamprimum fui tentatus.

21. Quando

21. Quando sapienti, Domine, deficit  
scientia vel potestas vel certitudo, semper  
auxiliatur sibi legalitate & justitiâ & con-  
fidentiâ in tua gratia & benedictione : igi-  
tur ego non fui sapiens, quia quampri-  
mum mihi deficiebat certitudo & scientia,  
statim me associabam cum suspicione &  
desperatione & oblivione tuæ Miseri-  
cordiæ.

22. h. O J E S V Christe Domine nate ex  
nostra Domina sancta M A R I A ! Tu fuisti  
sapiens in principio tuæ Nativitatis & in  
medio & in fine dierum, quibus vixisti in  
hoc mundo; sed ego fui stultus à principio  
meorum dierum usque ad triginta annos  
præteritos, quando incepit in me recorda-  
tio tuæ Sapientiæ & desiderium tuæ Lau-  
dis & memoria tuæ Passionis.

23. Unde, sicut sol habet majorem  
vim in meridie, ita ego fui stultus & sine  
sapientia usque ad medietatem meæ ætatis;  
sed tua Sapientia, Domine, est adeò mag-  
na, quod possit dare mihi tantam sapien-  
tiæ in residuo meæ ætatis, sicut si totâ  
meâ

meâ ætate fuisse in bonis operibus.

24. Cùm peccatum & insipientia fecerint me ita fragilem & parvum & miserum, quòd in me non sit locus, in quem ulla sapientia possit intrare & contineri, faltem precor Te, *Domine*, ut istam sapientiam velis ponere in me, quòd velim esse tuus servus & mori ad laudandum tuam Deitatem & tuam sanctam Passionem.

25. i. *Perfece Domine, in quo omnia bona sumunt perfectionem!* Tibi sit gloria & honor; quia, sicut excessus fatuitatis & abundantia insipientiæ privarunt me sapientiâ; ita supplico & oro tuam magnam abundantiam, ut me faciat esse amatorem & servum sapientiæ & omnium bonorum operum.

26. Ratio, quare omnis tua operatio, *Domine Deus*, est plena Sapientiæ, est, quia, quidquid facis, facis, ut cognoscaris talis, qualis es, & ut homines Te ament, & Tibi serviant, secundum quod pertinet ad tuam Honorificentiam: igitur omnia alia,

alia , quæ cogitantur & fiunt aliâ intentione, sunt plena fatuitate & insipientiâ.

27. Qui bene velit cogitare & perpendere , quot sint homines, qui id, quod faciunt & cogitant, non faciunt ad intentiōnem tuæ Laudis nec ad reverentiam tui Dominii , multa, *Domine* , poterit perpendere, quæ sunt magnæ fatuitates & magnæ insipientiæ & absque ulla utilitate.

28. K. *Domine, une in Trinitate, trine in Unitate* ! Illi sunt sapientes , qui habent cognitionem de rebus , quæ sunt magnæ utilitatis & magni damni; quia per cognitionem , quam habent de rebus multūm utilibus , contemnunt res parvæ utilitatis, & per cognitionem , quam habent de rebus multūm damnosis, non timent res parvi damni.

29. Beati igitur sunt sapientes, qui faciunt differentiam inter res finitas & infinitas ; quia omnes res finitas relinquunt propter infinitas, & nullos labores finitos timent propter magnum pavorem, quem habent de laboribus infinitis.

30. Qui

30. Qui veram sapientiam velit habere, Domine, commendet se custodiæ amoris; quia amor est adeò nobilis virtus, quod omnes, quos ipse custodit, defendat à fatuitate & insipientia: igitur fatuus fui ego, qui non commendavi me custodiæ amoris, ratione cuius fatuitatis deamando fui obliviosus tuæ sanctæ Sapientiæ divinæ.

## CAPUT LXXI.

QUOMODO SAPIENTIA DEI  
extrahat de malo bonum.

I. **D**EVS liber, amoroſe, pie, plene omnibus bonis! Tuæ sanctæ Sapientiæ sit gloria & honor per omnia tempora, quia ipsa creavit omnes creaturas ex nihilo; & nihil non est aliquid habens esse; & in quantum nihil non habet esse, est malum respectu rei habentis esse: igitur secundum hoc sequitur, quod creando creaturas de nihilo tua Sapientia extraxerit bonum de malo.

2. Tua

§ 2  
2.

Tua Sapientia, Domine, ordinavit quòd malum, quod est in dæmonibus, sit Angelis occasio magnæ gloriæ & magni boni; quia, quòd plús dæmones torquentur, eò plús Angeli cognoscunt suam gloriam & gratiam, qnam eis facis.

3. Benedicta sit tua sancta Sapientia, Domine *DEVS*; quia de peccato Adami, quod fuit res horribilis & mala, extraxit valde magnum bonum in hoc, quòd ratione illius peccati volueris honorare natu-ram humanam, ipsam recreando assumen-do Carnem & moriendo pro nobis: unde maximum bonum & maxima honorificen-tia, quam homo unquam acceperit, & pos-sit recipere, fuit, quòd volueris esse homo & mori pro homine.

4. b. Domine fortis, Domine magne, Do-mine alte! Benedicta sit tua magna Sapi-entia & omne, quod à Te est; quia ipsa est adeò magna, quòd de gravibus pecca-tis, quæ peccatores facimus, extrahat cog-nitionem & placitum in beatis faciendo eos cognoscere gloriam & benedictionem, quam

5. *Amoroſe Domine*! De tuis gravibus  
Vulneribus & de tuis angustiosis laboribus,  
quos moriendo sustinuisti pro nobis, quæ  
ſunt valde gravia mala, derivatur & naſ-  
citur perdurableſis requies hominibus bea-  
tis in gloria.

6. Et ab illis malis, *Domine*, quæ ſuf-  
tinuisti in hoc mundo, fuit natum & de-  
rivatum exemplum, quod dedisti tuis po-  
pulis ad Te amandum & honorandum &  
laudandum, ut eſſent digni intrare in cœ-  
leſtem gloriam.

7. c. Tua Sapientia, *Domine DEVS*,  
debet valde amari & honorari ab omnibus  
populis, & noſtra debet valde contemni  
& vilipendi; quia, ſicut tua eſt adeò mag-  
na, quòd extrahat de malo bonum, ita  
noſtra eſt adeò modica, quòd res bonas &  
pretiosas faciat devenirē in malas.

8. Si tuus ſervus, *Domine*, haberet  
aliquid ſapientiæ in ſe ipſo, de defectibus,  
quos videt facere Reges & magnos Do-  
minos, poſſet extrahere multa bona & mul-  
tam

tam sapientiam; quia, si faceret oppositum illius, quod ipsi malè faciunt, esset sapiens; sed, quia ego habeo debiliorem sensum, quàm ipsi, ideo non scio extrahere bonum, nec sapientiam de exemplo defectuum ipsorum.

9. *Vere Domine!* Homo sapiens, quoties tentatur, extrahit sibi utilitatem à tentatione; quia, quò major est tentatio, eò plús conatur resistere ipsi: igitur, cùm tentatio sit res mala in se ipsa, & ei resistere sit res bona, sapiens essem, si restituisse, & noluisse permettere me vinci à tot temptationibus.

10. d. *O magne Domine, supreme super omnes altitudines, excellens super omnes honorificentias!* Illi beati sciunt extrahere de malo bonum, qui, quando in sua cogitatione perpendunt mala opera, recurrent ad cogitandum & desiderandum bona, & ad contemnendum malas cogitationes priores.

11. *O Domine DEVS!* Quàm beatus est homo sapiens, qui, in quocunque statu sit,

fit, scit facere suam utilitatem ! Nam , si ipse stet in bonis operibus , scit se assecu- rare in eis; &, si per aliquod accidens ca- dat in aliquod malum cogitando vel ope- rando , scit ab eo exire , & se mutare ad tractandum de aliquo bono opere.

12. Cúm tuus servus & tuus subditus, *Domine D E V S*, toties erraverit & exive- rit de bonis operibus, & intraverit in mala, ipse non est sapiens, qui de bonis operibus habuerit curam & sollicitudinem, nec qui sciverit esse talis, quòd se custodiret à cul- pis & peccatis.

13. e. *Divine Rex perdurabilis , fortis super omnes fortitudines* ! Valde magnam occasionem essendi sapiens habet, qui pro amore Tui sustinet angustias & labores & sollicitudines; quia , quò majores sunt sui labores, eò melius est dispositus ad faci- endum magna lucra, dum velit in eis ha- bere patientiam: igitur secundum hoc sa- pientiores possunt esse illi , qui pro tuo amore sunt in tribulationibus , quàm illi, qui pro Te non sustinent ullum labo- rem.

rem.

14. In oīnnibus illis rebus, Domine Deus, possum cognoscere meam magnam stultitiam & meos graves defectus; quia, quando per labores & tribulationes faciebas me affligi à gentibus pro tuo amore, nesciebam extrahere utilitatem de illis iaboribus, nec lucrari lucra, quæ mihi parabas ad lucrandum.

15. Ego, Domine, non sum de sapientibus, qui, quò plús illuduntur & reprehenduntur & inhonorantur & contemnuntur pro tuo amore, eò plús conantur Te laudare & honorare & amare & benedicere; imò sum de stultis & pusillanimis, qui, quò plús vident pericula corporalia in serviendo Tibi, eò plús ea evitant, & eò plús fugiunt à vituperio gentium injuriosè judicantium.

16. f. O humilis Domine, plene Misericordia! Illi homines habent sapientiam, qui accumulant & congregant, quando stulti dissipant & consumunt; quia de defectibus eorum extrahunt utilitatem & sapientiam:

igitur

igitur stultus ego fui, quia, dum sapientes faciebant opera sapientiae, dissipabam & consumebam inter ipsos hoc, quod habebam.

17. Illi, qui sunt sapientes, *Domine*, si contingat, quod eis deficiat potestas ad faciendum bonum & evitandum malum, saltem vellent, si possent, facere bonum, & evitare malum: unde de suo defectu extrahunt bonum in hoc, quod tantum eis valeat habere voluntatem, quantum valeret, si haberent potestatem: igitur stultus ego fui, qui non scivi habere talem modum, immo habui contrarium.

18. Quando homo sapiens, *Domine*, non potest intelligere nec scire id, quod suum ingenium & suus intellectus non potest percipere, semper attribuit defectum sibi ipso, & ipsum non attribuit rei, quam vult intelligere; & sic de suo defectu extrahit bonum in hoc, quod faciat magnam sapientiam: igitur stultus ego fui, qui faciebam contrarium; quia, quando non poteram intelligere rem duram ad intelligendum,

dum, statim affirmabam defectum venire  
ex parte rei, & non ex parte mei.

19. g. *O sancta Sapientia, Lumen &  
Splendor fidelium Christianorum!* Tibi de-  
tur omnis gloria & omnis honor, quia scis  
extrahere hominibus bona perdurabilia de-  
fragilitatibus & miseriis & defectibus ip-  
sorum, quotiescunque videant & percipi-  
ant suas miserias & suos defectus; nam,  
quò plús homo cognoscit suos defectus esse  
viles, eò plus habet utilitatis.

20. *Quia ego non scio, Domine, si-*  
*militer me gerere, videtur mihi, quòd sim*  
*stultus & plenus insipientiâ & ignorantia;*  
*quoniam, quando deberem cogitare &*  
*perpendere meam fragilitatem & meos gra-*  
*ves defectus & graves culpas, quibus totus*  
*sum comprehensus, imaginor & cogito res,*  
*quæ non sunt in me, & puto, quòd sim*  
*bonus & virtuosus & honoratus & totus ple-*  
*nus bonis moribus, quarum rerum nullam*  
*habeo in me.*

21. *Domine DEVS!* Homines sapien-  
tes, qui sine sua culpa fiunt pauperes, de-  
illa

illa paupertate, quam sustinent, extrahunt  
divitias virtutum, quibus ditant suas ani-  
mas, & hoc faciunt, quia contemnunt di-  
vitias, & contemnendo ipsas contemnunt  
hunc mundum, & contemnendo ipsum  
desiderant venire ad divitias cœlestis glo-  
riæ; igitur stultus ego fui, qui ratione pau-  
pertatis, quam sustinebam, desiderabam  
habere divitias hujus mundi & desiderando  
eas habebam in oblivione bona cœlestia.

22. h. *Liber Domine, plene gratiâ, pie,  
abundans omnibus bonis!* Homines sapien-  
tes extrahunt de malo bonum, quando per  
motum naturalem excitatur in eis ira, &  
abstinent à loquendo & operando mala  
opera: unde, cùm motus iræ sit malus in  
se, de illo malo sciunt homines sapientes  
extrahere bonum, quia sciunt habere absti-  
nentiam & patientiam; sed ego non sum  
de illis, quia, quamprimum ira incipit in  
meo corde, statim profero verba inconsi-  
derata, & facio opera similiter inconsi-  
derata.

23. *Honorate Domine!* Quando homi-  
nes

nes sapientes tribulantur in hoc mundo ab hominibus vel ab infirmitatibus vel ab indigentia ciborum, statim elevant suum cor ad Te, & confidunt in Te; sed ego, quam primūm meum cor vel meum corpus tangebatur ab aliqua tribulatione, statim movebam me ad desperationem de tua Gratia & de tua magna Misericordia.

24. Quò plús homo sapiens, Domine, tentatur, & quò plús illuditur & decipitur, eò plús inde extrahit profectum, quia eò melius cognoscit suam fragilitatem & miseriā; sed ego, quò plús contemnebar & deridebar & reprehendebar, eò plús me appetiabam & me laudabam & me excusabam.

25. i. O magne Domine super omnes magnitudines magne! O Domine super omnes largitates large! Illi homines sunt sapientes, qui, quando sentiunt suam naturam inclinatam ad peccandum, ei resistunt per res contrarias; nam, si sua natura inclinetur ad iracundiam vel ad luxuriam vel ad zelotypiam vel gulositatem, recurrent ad absti-

*Vol. I. Lib. II. Dist. XV. Cap. LXXI.* 61  
abstinentiam & patientiam & legalitatem  
& orationes & jejunia & sermones & pe-  
regrinationes ; sed ego non fui talis , quia,  
quò plús sentiebam meam naturam incli-  
natam ad peccandum , eò plús ei permit-  
tebam ire juxta suum cursum.

26. Illi homines sunt sapientes , *Do-*  
*mīne* , qui parva mala faciunt devenire in  
magna bona , & magna mala faciunt de-  
venire in parva : igitur stultus ego fui, qui  
de magnis bonis feci devenire magna  
mala.

27. Omnes stupiditates & insipientiæ,  
quas habui in hoc mundo, venerunt mihi,  
*Domīne*, per defectum amoris, qui me fecit  
amare res finitas, & me fecit oblivisci Tui,  
qui es Bonum infinitum & Gloria perdu-  
rabilis.

28. K. O supremum bonum , à quo deri-  
vantur & descendunt omnia alia bona ! Illi,  
qui propter defectus aliorum se castigant,  
sunt sapientes : igitur stultus fui ego, *Do-*  
*mīne* , qui nolui me castigare propter de-  
fectus mei proximi.

29. Illi

29. Illi homines, *Domine*, sunt sapientes, qui quando vident alios torqueri & puniri à justitia, memorant suas proprias culpas & defectus & peccata: igitur ego non sum sapiens; quia, quando video aliquem torqueri & puniri, non memoro defectus, quos feci, propter quos deberem similiter puniri & torqueri.

30. Lætanter & devotè laudat & benedicit tuam Sapientiam, *Domine*, tuus servus, & suam scientiam cognoscit esse vilem & miseram; quia, sicut tua Sapientia extrahit de malo bonum, ita mea scientia per defectum & ignorantiam facit venire de bono malum: veruntamen, quamvis sim totus plenus defectu, tamen non desisto agere Tibi gratias pro gratia, quam mihi dedisti ad ducendum ad perfectionem istam Distinctionem, quæ tractavit detua Sapientia divina.

DISTINCT.

# DISTINCT. XVI.

## DE DIVINA JVSTITIA.

### CAPUT LXXII.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS sit justus in se ipso.**

I.



2.

*DEVIS sapiens super omnes  
Scientias & Sapientias:  
Tuæ Sanctæ Justitiæ, Do-  
mine, cognoscatur omnis  
gloria & omnis honor,  
quia verè & justè omnia  
quæcunque creasti, creasti, ut in eis cog-  
noscatur & demonstretur tua magna Bonitas.*

2.

*Unde, cùm tua magna Bonitas,  
Domine, mereatur cognosci & amari &  
sibi serviri, valde magnam rationem &  
justitiam habuisti in hoc, quòd creaveris  
creaturas, ut ipsa cognoscatur.*

3. Adeò

3. Adeò magna & perfecta est, *Domine*, tua Justitia in se ipsa, quòd nunquam dederis nec attribueris Tibi aliquid, quod esset contra rationem & veritatem, nec quod esset inconveniens tuæ Nobilitati, vel demonstraret ullum defectum esse in tua Sapientia.

4. b. O Pater spiritualis, in quo sunt omnia bona & omnes magnitudines! Ratione magnæ Justitiæ, quæ est in Te, *Domine*, voluisti esse Homo, & voluisti esse pauper & vendi & ignominiari & derideri.

5. Abundantia Veritatis & Justitiæ voluit, *Domine*, tuum gioriosum Corpus habere manus ligatas, & flagellari & elevari ad Crucem, & tuas manus & pedes clavis crucifigi, & tuum Caput spineâ coronâ coronari; etiam Tibi placuit potari absynthio & aceto & felle, & lanceâ transfodi, & voluisti tuam Animam à Corpore separari: unde benedicta sit tua magna Justitia, quæ omnes istas passiones Te fecit sustinere & assumere in patientia.

6. Secundum vijn justitiæ & rationis,  
*Domine,*

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXII. 65*  
*Domine*, oportebat omnes istas pœnas & angustias esse in tuo Corpore, ut tuus populus liberaretur à diabolo, secundum quod ordinatio tui Adventus requirebat.

7. c. *Amabilis Domine, qui audis voces & orationes hominum justorum!* Adeò magna Justitia est in Te, quod, licet habeamus Te in oblivione, & habeamus in memoria vanitates hujus mundi, tamen nolueris oblidisci nostri.

8. Quia Justitia & Æquitas facit Te, *Domine*, esse memorem nostri, & recreare tuum populum, & injuria & ingratitudo & durities cordis me fecit immorem tuarum Nobilitatum & gravium laborum, quos pro me sustinuisti & portasti, quid erit de me? & quodnam consilium capiam?

9. Nullum aliud consilium scio capere, *Domine*, nisi à Te petere gratiam, ut mihi parcas, & me iudices secundum amorem, quem habuisti erga humanum genus, quando pependisti in Cruce; & non velis

E

me

me judicare secundum statum, in quo sum,  
quando sum oblivious tuorum vulnerum.

10. d. Tu, *Domine Deus*, qui glorificas in gloria tuos servos glorificando Te ipsum in Te, es adeò abundans Justitiâ & Æquitate, quod omnia loca mundi sint plena & cooperta tuâ Justitiâ; sed justitia & æquitas tui miseri servi est adeò modica, quod nec in loco nec in angulo inventiatur nec videatur.

11. Cùm ego, *Domine*, habeam defecatum justitiae & æquitatis, & sim plenus injuriâ & rebus irrationabilibus, ubicunque velis, potes scindere & dividere & truncare in me, per quamcunque partem velis, gladio tux Justitiae; & maximè cùm sim nudus & pauper virtutibus, & sim plenus culpis, & gladius tux Justitiae possit me ferire, per quemcunque locum velit.

12. Si tux sanctæ Misericordiæ, *Domine*, placeret ine excusare, ne tuus gladius Justitiae me feriret perdurabilibus ictibus, magna videretur in me tua Pietas & tua Re-

*Remissio.*

13. e. *Restaurator Domine, Adjutor in omnibus locis & in omnibus temporibus!* Tua sancta Justitia ametur & laudetur omni tempore; quia, cùm sciam Te esse adeò rationabilem & justum, & me adeò culpabilem & dignum sustinere dolores perdurabiles, valde timida & tristis est mea anima, quo usque memoret tuam magnam Misericordiam, quæ aufert ab ea omnem timorem & omnem tristitiam.

14. *Gloriose Domine!* Si essem certus, quòd ad portam paradisi esset tua Justitia sinè Misericordia, nunquam possem habere spem in tua Gloria; sed, quando cogito tuam Justitiam non posse esse sinè Misericordia, nullo modo possum cogitare, quòd non miserearis mei.

15. *Sapiens Domine, perduralilis!* Sicut Tu fuisti justus tuo populo per Creationem & Recreationem, ita placeat Tibi velle esse justus Tibi ipsi de me, & velle me non esse servum nec subditum alterius Domini nisi Tui, & me aliam rem non laudare

68 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
laudare nec honorare nec benedicere, nisi  
Te.

16. f. *Domine gloriose!* Quoniam ita est,  
quod Justitia faciat Te amare me, placeat  
Tibi ipsam facere me amare Te; &, sicut  
Justitia fecit plorare tuos oculos, ita pla-  
ceat Tibi ipsam facere plorare meos; &, si-  
cut Justitia Te fecit mori pro amore tui  
populi, ita Tibi placeat tuum servum mori  
ad dandum laudem de tua sancta Incarna-  
tione & Passione.

17. *Vere Domine!* Sicut Justitia eò  
plús crescit & multiplicatur in homine,  
quò plús vult esse amator & laudator &  
servus tuæ laudis & tuæ honorificentæ;  
ita, quò plús homo est inobediens tuis  
mandatis, & quò plús obliviscitur eorum,  
eò plús crescit in eo injuria & irrationali-  
tas & illegalitas.

18. Cúm homo, *Domine*, sit eò plús  
legalis & justus, quò plús Te amat & Tibi  
servit, & sit eò plús falsus & illegalis &  
injustus, quò plús Tibi differvit; secundum  
hoc sequitur, quòd Tu sis Fons & Flumen  
omnis

19. g. *Perpetue Domine* ! Sicut tua magna Justitia est ad majorem Nobilitatem Tui, quam ullius alterius , ita meæ injuriæ & meæ culpæ sunt ad majus damnum & confusionem mei, quam ullius alterius.

20. Veruntamen, quamvis meæ injuriæ, *Domine*, mihi sint plús nocivæ , quam ulli alteri, tamen fui injustior Tibi, quam mihi , licet meæ injuriæ non Tibi noceant.

21. Qui in bonis temporalibus , *Domine*, facit sibi injuriam , non facit magnam injuriam; sed suprema injuria , quam homo possit facere sibi ipsi , est , quod se privet bonis spiritualibus, quæ non habent cessationem nec finem.

22. h. *Sapiens Domine, alte super omnes altitudines* ! Estne ullus homo, qui posset comparare & æstimare magnam injuriam, quam perversus peccator facit sibi, quando sinè causa & sinè omni ratione damnat suam animam & suum corpus ad ignem perdurablem ?

23. Non

23. Non est ullum mirum, *Domine*, si ille, qui sibi facit injuriam, faciat injuriam suo proximo; quia, qui sibi in justè aufert bona cœlestia, & se ipsum damnat ad perdurabiles pœnas, cuilibet faceret injuriam & deceptionem.

24. Unde, cùm ego, *Domine*, sim adeò injuriosus Tibi & mihi & meo proximo, quantum sum injuriosus, tantum placeat a Tibi super meas injurias esse pius & misericors.

25. i. *Humilis Domine, cui nulle res sunt obscuræ nec occultæ!* Cùm Tu sis verus DEUS & verus Homo, est rationabile & justum, quòd ego sim tuus servus & tuus famulus & tuus benevolus; nam ratione tuæ Deitatis sum tua creatura & tuus beneficiatus, & ratione tuæ Humanitatis sum tuus recreatus & tuus restauratus & tuus redemptus.

26. Sicut per justitiam debedo esse tuus servus, *Domine*, ratione tuæ Deitatis & tuæ Humanitatis; ita fui injuriosus contra tuam Deitatem & contra tuam Humanitatem.

27. Cúm Tu, *Domine*, sis adeò justus,  
omnis honor & omnis reverentia & omnis  
solemnitas fiat tuæ magnæ Justitiæ; & tuus  
servus cognoscatur & judicetur in valde  
magna miseria & in valde magna vilitate,  
& reputetur injuriosus super omnes inju-  
rias.

28. K. *O Domine large, Dator omnium  
bonorum!* Laudetur & glorificetur tua  
magna Justitia, quæ se facit sororem & so-  
ciam tuæ sanctæ Misericordiæ in adeò  
magna unione & in adeò magna societa-  
te, quòd una non sit sinè altera ; & mea  
inuria vilipendatur & reprehendatur, quia  
se associavit cum durius cordis & cum  
ingratitudine.

29. Quia tua Justitia & tua Misericordia, *Domine*, sunt insimul, ideo tua Mi-  
sericordia vult, quòd judicemus nosmetip-  
pos in hoc mundo ad opera pœnitentiæ, ne  
tua Justitia nos judicet in altero sæculo ad  
perdurabiles pœnas, & ut tua Misericordia  
nobis dimittat in hoc sæculo.

30. Omnes

30. Omnes lætemur & confortemur,  
*Domine*, in tua Justitia; quoniam ipsa est  
 adeò amorosa & liberalis cum tua sancta  
 Misericordia, quæ non obliviscitur illo-  
 rum, qui contemplantur in Bonitate tuæ  
 Essentiæ divinæ.

## CAPUT LXXXIII.

*QVOMODO DEVS SIT JVSTVS*  
*in Angelis & in dæmonibus.*

1. **D**ivine Domine! Omnis sanctitas &  
 a. omnis benedictio & omnis honor  
 detur tuæ excellenti Justitiæ, quæ, quia  
 Angeli voluerunt esse tuæ creaturæ & tui  
 laudatores & tui servi, quamprimum eos  
 creasti, ideo voluit statim confirmare il-  
 lam voluntatem in eis.

2. Unde benedicta sit, *Domine*, tua  
 magna Justitia, quia valde justè & rectè  
 judicasti in eis; nam, quoniam ipsi ama-  
 bant esse subditi tuæ laudi & tuo honori,  
 fuit rationabile & justum eos confirmare  
 in

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXXIII.* 73  
in statu , quem voluerunt & elegerunt,  
quoniam sua voluntas & sua electio erat  
secundum rationem & justitiam.

3. Unde beati sunt Angeli , *Domine* ,  
quia voluerunt esse armatores & laudatores  
& servi tuæ sanctæ Deitatis; & Tu es verus  
Judex , qui confirmasti eos in omni, quod  
voluerunt de Te.

4. b. *Domine fortis super omnes fortitudi-  
nes!* Valde justus fuisti in Angelis, quando  
eos confirmasti in statu gratiæ ; quia, sicut  
ipsi inceperunt ire per viam primi motus,  
ita confirmasti eos , ut perdurabiliter eant  
per eandem viam; &, sicut Angeli, quam-  
primum fuerunt creati, habuerunt primam  
intentionem in amando & honorando Te  
& in serviendo Tibi, ita eos confirmasti, ut  
perdurabiliter in omni, quod volent facere,  
habeant eandem intentionem.

5. Laudetur & magnificetur, *Domine*,  
tua magna Justitia, quæ confirmavit An-  
gelos in proprietate & natura volendi ope-  
rari opera gratiæ , & facere ea, quæ sint ra-  
tionabilia fieri; & benedictus sis , *Domine*,  
qui

qui eos custodivisti, ne possint habere voluntatem inordinatam, ex qua procederent opera derivata accidentaliter à privatione & à nihilo.

6. *Sapiens Domine!* Dupliciter demonstratur tuam Justitiam esse magnam in Angelis, quia, sicut ipsi voluerunt ire per vias gratiæ, quamprimum fuerunt creati, ita confirmasti eos in illis viis; &, sicut ipsi se custodiverunt & elongaverunt à viis, in quibus est privatio gratiæ & rerum rationabilium, ita eos custodivisti ab illis viis.

7. c. Laudes & honores & placita & dulcedines tribuantur Tibi, *Domine*, qui habes tantam Justitiam, quòd, quia Angeli voluerunt vivere in Te, qui es Fons vita, confirmasti eos in vivendo in Te; &, sicut Angeli voluerunt amare nos, quia videbant Te nos amare, ita voluisti eos confirmare in amando nos & omne, quod amas.

8. Cúm Angeli, *Domine*, sint veraces & in eis nulla sit falsitas nec mendacium,  
valde

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXXIII.* 75  
valde magnam Justitiam fecisti tuo populo  
faciendo Angelos nuntios; quoniam non  
convenit aliquem esse nuntium, nisi sit  
verax.

9. *Benigne Domine, plene gratiâ!* Cúm  
Angeli sint amatores verarum viarum, &  
odianc quascunque res viles & inordinatas,  
valde magnam Justitiam fecisti dando eis  
officium procuratorum tuorum populorum;  
quoniam ad nullum pertinet officium pro-  
curationis, nisi sit amator omnium bono-  
rum, & odio habeat omnia opera pec-  
cati.

10. d. *O sancte Splendor, Pater omni-  
um luminum, Lumen omnium splendorum!*  
Cúm Angeli sint veraces & sint benevoli  
nostrî, & Tu, *Domine*, eis commendave-  
ris tuos populos, valde sapienter & ratio-  
nabiliter operatus es.

11. Nam Angeli, *Domine*, defendunt  
nos à dæmonibus & à malo, & admonent  
nos, ut faciamus bona opera, & per hoc  
lucrantur meritum, per quod crescit &  
multiplicatur sua gloria in tua Præsentia.

12. Cúm

12. Cúm Tu, *Domine*, sis adeò justus  
*Dominus*, & *Angeli* nocte & die conentur  
 laudare & honorare Te, & *Tibi* servire,  
 & nocte & die custodiant & defendant tu-  
 um populum à tentatione diabolica; quis  
 posset imaginari & cogitare magnam glo-  
 riam, quam beati *Angeli* possident in cœ-  
 lesti Gloria?

13. e. *Cælestis Pater*, *Domine temporis*  
*præteriti* & *præsentis* & *futuri*! Quantò  
 plús homines sunt in hoc mundo amatores  
 bonorum operum, tantò majorem glo-  
 riam inde possident *Angeli*; nam, quo-  
 niam *Angeli* sunt nuntii & custodes homi-  
 num, quantò plús eos adjuvant, tantò ma-  
 jor debet esse sua gloria.

14. Cúm per infernalem pœnam, quam  
 dæmones sustinent, demonstretur magni-  
 tudo gloriæ, quam *Angeli* possident, quò  
 major est, *Domine*, pœna illorum, eò me-  
 liùs demonstratur gloria istorum, & eò me-  
 liùs potest cognosci amor, quem habes er-  
 ga eos.

15. Omnis reverentia & omnis laus  
 detur,

detur, *Domine DEVS*, tuæ magnæ Justitiæ; qui ab hora, qua Angeli & boni homines inceperunt facere bona opera, & ab hora, quâ dæmones & mali homines inceperunt facere mala opera, quotidie crescit & multiplicatur gloria beatorum Angelorum ratione tuæ magnæ Justitiæ, quæ eis retribuit gloriam propter meritum boni, quod faciunt, & mali, quod impediunt.

16. f. *Juste Domine, in quo est omnis Veritas & omnis Justitia!* Sicut Tu es justus Angelis in omni, quod faciunt, ita es justus dæmonibus in omni, quod faciunt.

17. Quando Angelos creasti, *Domine*, Lucifer & alii dæmones statim inceperunt ire per viam secundi motus, & uti rebus inconvenientibus ordinationi, & rebus habentibus respectum ad privationem & ad non esse.

18. Unde ratione talis motus, *Domine*, voluisti eos esse dæmones, & confirmasti eos in esse diabolico, & voluisti omnem operationem & omnem intentionem eorum semper ire per secundum motum,  
&

& ipsos nunquam habere potestatem eundi per viam primi motus.

19. g. *O Rex Regum! O Princeps Principum!* Dæmones accidentaliter inceperunt habere inordinatam intentionem, & accidentaliter inceperunt ire per naturam & propinquitatem rei, quam non decebat esse factam nec volitam.

20. Unde omnem rem desideratam & volitam & factam per secundum motum, & per inordinatam intentionem convenit, *Domine*, de necessitate esse volitam & factam injuriosè & contra ordinationem omnis justitiæ: igitur, quidquid dæmones voluerunt facere, voluerunt injuriosè & contra omnem justitiam & rationem.

21. Nam dæmonem velle, *Domine*, esse liberum & similem Tibi, fuit velle inordinatum & injustum, quoniam in hoc, quod ipse sit creatura, non debet esse similis suo Creatori, nec debet excusari ab obedientia sui Domini: propterea dignum est suam operationem esse malam & non esse bonam.

22. h. *Vere Domine, benevole noster!*  
*Esse*, quod dedisti dæmonibus, nisi sustine-  
 retur à Te, quamprimum peccaverunt,  
 fuisset deletum & reversum ad privatio-  
 nem; nam quia se inclinaverunt ad volen-  
 dum id, quod habet respectum ad *non esse*,  
 debuissent privari suo *esse* ratione culpæ  
 & ratione inclinationis, quam habuerunt  
 ad rem indignam *esse*.

23. Sed, quia Tu, *Domine*, es justus  
 Judex, placuit Tibi non delere dæmones,  
 & voluisti ipsos durare in *esse*, ut tua Jus-  
 titia demonstraretur in eis perdurabi-  
 liter.

24. Unde, cùm dæmones habeant na-  
 turam corruptam per peccatum, ratione  
 cuius reverterentur in *non esse*, & Tu, *Do-  
 mine*, cogas ipsorum naturam, & facias  
 eos esse in *esse*, ut sustineant pœnam, ideo  
 torquentur mirabilibus tormentis; quoniam  
 dupliciter torquentur, scilicet quia non  
 revertuntur in *non esse*, & quia sentiunt pœ-  
 nas, quas eis das.

25. i. *Liber Rex Glorie, quem omnes*  
*populi*

*populi timent!* Quia dæmones non incepere-  
runt amare Te, quamprimum fuerunt crea-  
ti, ideo, *Domine*, fuit justum ipsos privari  
amore: unde benedictus sis Tu, qui abstu-  
listi amorem ab eis ita, quod non ament  
Te, nec se ipsos, nec aliud vero amore.

26. Quia dæmones prius inceperunt  
amarer se ipsos, quam Te, justum fuit, *Do-  
mine*, quod non haberent ullum amorem;  
nam, quoniam Tu es suprema Bonitas, &  
es Creator eorum, debuissent prius amare  
Te, quam se ipsos.

27. Cum dæmones sint, *Domine*, sine  
amore, & sint coacti in sua voluntate,  
quoniam amor & voluntas, quam primò  
habuerunt, fuit contra rationem & justi-  
tiam, ratio & justitia est, quod sustineant  
perdurabiles poenas.

28. K. O Bonitas super omnes bonitates!  
O Bonum super omnia bona! Cum dæmones  
habeant principium, & sint terminati, &  
voluerint esse similes Tibi, qui es sine  
principio & fine, rationabile est eos tor-  
queri sine fine.

29. Si

29. Si dæmones voluerunt tantum  
amari & laudari & honorari, quantum Tu,  
qui es perdurabilis, rationabile est, quod  
ratione istius voluntatis proveniat eis sen-  
tentia, quam subdantur & captiventur per-  
durabilibus laboribus.

30. Quia dæmones, *Domine*, discogno-  
verunt tuam magnam Bonitatem, quando  
fuerunt creati, magna ratio est, quod eis  
sit occulta tua magna Misericordia: unde,  
quia ipsi ignorant respectu sui ipsorum  
tuam magnam Misericordiam, desperant  
de ea, & desperati torquentur, quin petant  
misericordiam & remissionem delictorum,  
quæ committunt contra suum Dominum  
**DEUM.**

## CAPUT LXXIV.

*QVOMODO DEVS SIT JVSTVS*  
*in hominibus divitibus & in pauperibus.*

i. a. **D**EVS virtuose! Gloria & honor &  
benedictio sicut Tibi semper, qui

es adeò justus, quòd judices homines divites secundum suas divitias, & pauperes secundum suam paupertatem.

2. Cúm Tu, *Domine Deus*, sis iustus cuilibet homini secundum statum, in quo est, si homines divites habent maiorem dispositionem ad peccandum, quam pauperes, judicas eos, & non punis eos tantum, quantum illos, qui peccant habendo minorem occasionem & opportunitatem peccandi.

3. Homines pauperes, *Domine*, qui non habent tantam occasionem superbiæ nec gulæ nec luxuriæ nec aliorum vitiorum, quantum divites, si peccent, multò majorem pœnam debent habere, quam divites.

4. b. *Domine sancte, Domine Salvator noster!* Tua sancta Justitia est æqualis inter divites & pauperes in hoc, quòd, si pauperes pro tuo amore concentur facere bona opera, multò gratiores sint Tibi, quam divites, quia divites sunt magis dispositi ad faciendum bonum, quam pauperes.  
unde

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXIV.* 83  
unde bonum, quod faciunt pauperes, fit ma-  
jori labore & majori fervore amoris, quām  
bonum , quod fit à divitibus.

5. Simili modo , *Domine* , judicas in  
hominibus divitibus & in pauperibus ,  
quando abstinent à malis operibus ; nam,  
quando divites abstinent à peccato, multò  
gratiōres sunt *Tibi* , quām pauperes , quia  
habent majorem occasionem faciendi ma-  
lum.

6. Si homines pauperes, *Domine*, tri-  
bulantur & torquentur per famem & per  
nuditatem & infirmitates & alios labores,  
qui eis eveniunt ratione paupertatis , divi-  
tes similiter torquentur & tribulantur ra-  
tione divitiarum, propter quas habent fa-  
mem & sitim & infirmitates & anxietates  
& timores & multos alios labores: unde  
benedicta sit tua *Justitia*, quæ torquet pau-  
peres per paupertatem & divites per di-  
vitias.

7. c. *Æternitas & Infinitas & Gloria &*  
*Virtus cognoscantur Tibi, Domine DEVS,*  
*qui es justus Judex ita , quòd si homini di-*  
viti

viti divitiæ sunt occasio peccati , æquè  
bene sunt ei occasio evitandi peccatum; &  
si homini pauperi paupertas est occasio  
peccati, æquè bene est ei occasio evitandi  
peccatum.

8. Ratione tuæ magnæ Justitiæ , Do-  
*mīne*, plūs valet parva moneta , quam pau-  
per dat pro tuo amore, quām magna, quam  
dat dives pro tuo amore ; & gratior est  
Tibi dives, si pro tuo amore sit humilis &  
simplex & suavis, quām pauper , qui simi-  
liter pro tuo amore sit talis.

9. Laudetur & benedicatur , *Domīne*,  
tua magna Justitia; quia, sicut divitiæ tem-  
porales demonstrantur in hominibus divi-  
tibus exterius, ita divitiæ spirituales cog-  
noscuntur intra conscientiam beatorum  
pauperum ; &, sicut paupertas temporalis  
cognoscitur exterius in pauperibus, ita cog-  
noscitur paupertas spiritualis intra consci-  
entiam malorum divitium.

10. d. Restaurator *Domīne*, fortis super  
omnes fortitudines, magne super omnes mag-  
nitudines ! Ratione tuæ Justitiæ & Æqui-  
tatis

*Völ. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXIV.* 85  
tatis voluisti quasdam res esse paupertates  
hominibus divitibus, quæ sunt divitiæ pau-  
peribus, & quasdam res esse magnas pau-  
pertates hominibus pauperibus, quæ sunt  
magnæ divitiæ divitibus.

i i. Adeò justus es, *Domine*, quòd  
xquè possit lucrari magnum meritum ho-  
mo pauper petendo eleemosynam ante por-  
tas, sicut, qui ei eleemosynam dat; & xquè  
possit lucrari meritum dives dando elee-  
mosynam, sicut pauper recipiendo eam.

i 2. Laudetur & benedicatur, *Domine*,  
tua magna Justitia; quia, sicut homini pau-  
peri sua paupertas est occasio, ut in hoc  
mundo parùm appretietur & ametur, & ut  
derideatur; ita divitiæ sunt diviti occasio,  
ut in hoc mundo parùm ametur & appre-  
tietur & ut derideatur, dummodo non  
faciat id, quod ad divitem pertinet fa-  
cere.

i 3. e. O *Domine*, qui mereris omnes no-  
bilitates! O *Domine*, qui portasti omnes  
nostros languores & omnes nostros dolores!  
Sicut hominibus divitibus dedisti delecta-  
tiones

86      *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
tiones & placita in suis divitiis, ita eis de-  
disti multas anxietates & tribulationes in  
possidendo ipsas.

14.     Si pauperibus ratione suæ pauper-  
tatis eveniunt multi labores & adversita-  
tes, benedicta sit, *Domine*, tua Justitia,  
quæ in paupertate facit eos habere multas  
consolations & prosperitates & delecta-  
tiones.

15.     Omnes pauperes devotè & lætan-  
ter debent laudare & benedicere, *Domine*,  
tuam magnam Justitiam; quia, si divites  
ratione divitarum sunt dispositi ad multa  
vitia & ad multas delectationes & vanita-  
tes, etiam pauperes ratione paupertatis sunt  
dispositi ad habendum multas virtutes.

16. f. *Perpetue Rex, Dominans super om-  
nes principatus, & super omnia regna!* Si beati  
pauperes beatificantur & gratificantur, quia  
habent patientiam in suis paupertatibus, &  
Te laudant in eis; æquè beati sunt, *Domine*,  
divites, quando non sunt Tibi ingrati ra-  
tione divitarum, & Te laudant & Tibi  
serviunt secundum divitias, quas eis de-  
disti.

disti.

17. Homo dives, *Domine*, qui non Te laudat, nec Tibi gratias agit propter suas divitias, si esset pauper, non Te laudaret nec Tibi gratias ageret propter paupertatem; & homo pauper, qui Tibi non agit gratias nec Te laudat propter suam paupertatem, si esset dives, non Te laudaret nec Tibi gratias ageret propter divitias.

18. Si homines pauperes, *Domine*, sunt pauperes bonis temporalibus, homines divites sunt plús obligati ad benefacendum, quàm ipsi pauperes: igitur loco divitarum das pauperibus libertatem, & loco paupertatis das divitibus servitutem.

19. g. *O misericors Domine, plene Veritate & Amore!* Si divitiæ sunt occasio homini diviti, ut laudetur & ametur & honoretur à gentibus, paupertas est pauperi occasio, ut Te laudet, & Tui memor sit & in Te confidat.

20. Si homines divites divitiis temporalibus, qui simul sunt divites divitiis spiritualibus, sunt beati; beatiores sunt, *Domine,*

88      *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
*mine*, pauperes divitiis temporalibus, qui sunt divites divitiis spiritualibus.

21.     Divites divitiis temporalibus, qui sunt pauperes divitiis spiritualibus, sunt miseri, *Domine*; sed miseriiores sunt pauperes bonis temporalibus, quando sua anima plūs amat divitias temporales, quàm spirituales.

22. h. Te, *Domine*, qui es firmitas nostræ spei, & restauratio nostrorum defecatum, adoro & laudo & benedico; quia, sicut peior paupertas & major, quam homo possit habere, est amare divitias mundanas super divitias spirituales, ita maiores divitiae & meliores sunt plūs amare paupertates hujus mundi, quàm divitias.

23.     Major paupertas, quam homo possit invenire, *Domine*, potest esse in Regibus & Principibus & Baronibus, qui adeò amant vanitates & voluptates & vanam gloriam, quòd omnes divitiae, quas habent, non sufficient ad complendum suum desiderium; nec omnes divitiae hujus mundi possent sufficere uni homini, dummodo sit  
vani-

24. Gloria & honor sint, *Domine*, tuæ  
Justitiæ, quæ adeò bene ordinavit, quod  
illi, qui in hoc mundo amant divitias,  
sint pauperiores illis, qui eas non amant.

25, i. *JE SV Christe Domine, qui es Fi-*  
*lius Virginis glorioſæ nostræ Domine sanctæ*  
*MARIAE!* Quia in hoc mundo sustinuiſ-  
ti majorem paupertatem, quam ullus aliis  
homo, ideo fuisti beatior in tua paupertate  
omni alio homine; &, quia fuisti ditior  
virtutibus in hoc inundo, quam ullus aliis  
homo, ideo fuisti beatior in tuis divitiis  
omni alio homine.

26. Sicut tua Justitia, *Domine*, pau-  
perem facit perversum hominem, qui vult  
se esse divitem, & suum proximum esse  
pauperem; ita Tu es beatus, quia voluisti  
esse pauper, ut tuus populus esset dives.

27. Tuus captivus, *Domine*, & tuus  
servus Te adorat & laudat & benedicit ra-  
tione magnæ paupertatis, quam sustinuisti  
in hoc mundo, & ratione divitarum spi-  
ritualium,

ritualium , quas habuisti , ex quibus exeunt  
& à quibus perficiuntur omnes nostræ spi-  
rituales divitiæ.

28. K. Magnitudo & Dulcedo & Jus-  
titia cognoscantur Tibi, *Domine Deus* ;  
quia adeò es Fons vivus Justitiæ , quòd  
æquè communis & æqualis sis inter homi-  
nes pauperes & divites , & æquè possint  
pauperes & divites lucrari meritum secun-  
dum veritatem.

29. Et quòd hoc sit verum , quilibet  
sapiens potest intelligere , dummodo velit ;  
quia id , quod diviti est occasio mali , est  
pauperi occasio boni ; & id , quod pauperi  
est occasio mali , est diviti occasio boni .

30. Sed cùm homines , *Domine* , fere  
sint sinè intellectu & ratione , non vide-  
tur eis alias esse divitias , nec aliam oc-  
casionem boni , quàm divitias hujus mun-  
di ; sapientibus autem non videtur alias  
esse divitias , nisi contemnere omnia bona  
temporalia , & contemplari in tua Bonitate  
divina .

CAPUT

**QVOMODO DEVS SIT JVSTVS**  
*inter hominem injuriantem & hominem  
injuriatum.*

1. **O** Divine Pater, Principium omnium principiorum, perdurabilis sine ullo fine! Benedictio & sanctitas dentur Tibi omni tempore; quia, sicut per magnam rationem & justitiam convenit Te, Domine, esse Dominum super omnia; ita esset extra rationem, & esset injuriousum, si ulla alia res possideret aliquid, quin esset subdita tuo honorato Dominio: igitur secundum hoc, quicunque vult cogitare aliquid extra tuum Dominium, est injuriousus, & est adeò contra Te, quod non posset esse plus injuriousus & contra Te.

2. Cum Tu, Domine **DEVS**, sis res melior & nobilior, quæ esse possit, convenit Te plus amari, quam ullam aliam rem: unde, qui amant aliquam rem plus, quam Te, quantò Tu es dignior amari plus, quam illa

illa res , tantò majorem faciunt Tibi injuriam : igitur , quia talis defectus est maximus & maxima injuria , ideo tua Justitia justè condemnat ad infinitas pœnas illos , qui Tibi sunt ita injuriosi .

3. In quantum est major ratio , Domine , quòd Tu lauderis & honoreris plús quam ulla alia res , in tantum sunt Tibi injuriosi , qui aliam rem laudant & honorant plús , quam Te ; & propterea tua Justitia , quanta est injuria , tantam pœnam eis dat .

4. b. O benigne Domine , singularis , vere ! Injuria , quam perversi peccatores Tibi faciunt , non est contra Te , sed contra se ipsos ; quia ex hoc , quod ipsi faciunt , non sequitur damnum Tibi , sed sibi ipsis .

5. Amabilis Domine ! Si homines mali injuriant homines simplices , suaves , patientes , omnis injuria & omne malum est contra injuriantes & non contra injuriantes ; quia tua magna Justitia facit devenire in beata bona omnia mala , quæ injuriati recipiunt ; & , quò plús mali & frau-

dis

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXV.* 93  
dis & injuriæ recipiunt, eò plús crescit  
corum gloria, quando habent patien-  
tiam.

6. *O Domine sapiens, Domine sancte!*  
Benedicta sit tua magna Justitia, quæ tan-  
tum punit homines injuriatos, quando non  
volunt patienter sufferre injurias, quæ eis  
fiunt, quantum injuriosos, qui eos injuri-  
ant; quia adeò culpabiles sunt homines in-  
juriati, quando non sufferunt injurias pa-  
tienter & sinè mala voluntate, sicut inju-  
riosi, qui per defectum legalitatis eos in-  
juriant.

7. c. *Gloria & Sanctitas & Gratia &*  
*Honor cognoscantur, Domine, tuæ magnæ*  
*Justitiæ; quia, sicut ipsa dat liberam potes-*  
*tatem hominibus, per quam possint facere*  
*injurias, ita dat eis liberam potestatē,*  
*per quam possint eas sufferre in patientia,*  
*si contra eos fiant.*

8. *Certè magna est stultitia, Domine,*  
*quòd homines plus ament facere injuriam,*  
*quam eam recipere; quia per facere inju-*  
*riam tua Sententia eos condemnat ad per-*  
*durablem*

94 · *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
durabilem ignem, & per sufferre injuriam  
in patientia tua Justitia eis parat perdura-  
bilem Gloriam.

9. Qui est injuriatus , non velit esse  
injuriosus; & qui lætantur faciendo inju-  
rias plorent, quia eas faciunt; & qui tris-  
tantur & plorant , quia fiunt eis injuriæ,  
non plorent nec tristentur, imò lætentur,  
dummodo in patientia eas recipient.

10. d. *Æterne Domine sine fine & sine*  
*principio!* Cúm Tu sis adeò justus & ve-  
rus, & cùm ego toties Tibi fecerim inju-  
riam ante tuum benedictum Altare ; quid  
perit de me, & quodnam consilium capiam,  
quia, quando debebam contemplari in Te,  
cogitabam & memorabam vanitates hujus  
mundi ?

11. Quando ego, *Domine*, injuriabam  
meos vicinos & meos cognatos & amicos  
habendo invidiam de suis bonis & de suis  
uxoribus , illæ injuriæ nihil aliud erant,  
quam injuriationes meæ animæ, quæ se fa-  
ciebat indignam possidere cœlestem glo-  
riam.

12. Igitur,

12. Igitur, cùm egomet, *Domine*, sim injuriosus & injuriatus, sum omnimodè injuriosus, quia Tibi & mihi & meo proximo fui injuriosus; & ideo per Justitiam debeo puniri perdurabilibus pœnis, & per solam Misericordiam possum recipi ad perdurablem requiem.

13. e. *Grate Domine, plene Dulcedine & Pietate & Liberalitate:* Cùm ego fuerim adeò injuriosus meo Creatori & meo Salvatori & meo Domino, volo me judicare ad famem & sitim & paupertatem & nuditatem & ad omnes labores temporales, quos homo tenetur sustinere pro tuo Amore; quia, nisi me judicarem in hoc mundo ad sustinendum pœnam, tua Justitia me judicaret ad perdurabiles labores.

14. Tanquam homo ingrossans suam conscientiam, quando facit injuriam suo proximo, ego, ut excusarer à peccato, ingrossabam meum intellectum, *Domine*, ne haberet conscientiam de injuria, quàm faciebam: unde benedicta sit tua Justitia, cui nullæ fraudes nec astutiæ sunt occultæ.

occultæ.

15. Sicut homo falsus illegalis, Domine, quando vult facere fraudem & injuriam suo proximo, inquirit subtilitates & dolos, per quos eum possit decipere, ita homines injuriati & decepti, quando eis est facta injuria, debent ingrossare suum intellectum, ne habeant occasionem impatientiae, & non debent memorare injurias, quas receperunt.

16. f. O sancta Sapientia, cui nullæ res sunt occultæ! In quantum Tu, Domine, es Homo, fuisti iuuriatus in hoc mundo, quia sinè ulla causa, quam in Te inveni- rent, Te ceperunt Judæi & Te flagella- verunt & crucifixerunt & occiderunt: unde benedicta sit tua magna Justitia, quæ voluit, quod omnes tui Apostoli essent ita injuriati, sicut Tu.

17. Amor & Veritas & Justitia, Domine Deus, Te fecerunt sufferre, quod tuum benedictum Corpus injuriaretur in hoc mundo; & nunquam injuria nec falsitas nec ullum vitium accessit ad Te, nec Te movit

18. *JESV Christe Domine* ! Si Tu fu-  
isses in hoc mundo injuriosus & non inju-  
riatus , non esset ratio nec justitia , quòd  
esses in altero sæculo Judex inter ho-  
minem injuriosum & hominem injuria-  
tum.

19. g. *O Fortitudo super omnes fortitudi-  
nes ! O Amor super omnes amores ! O Dulcedo  
super omnes dulcedines !* Valde magnum er-  
rorem & magnum delictum reproto, *Domine*, quòd injuriaverim Te, qui es melior &  
fidelior & utilior Amicus, quem possim ha-  
bere, & permiserim me injuriari à mundo,  
qui est pejor & crudelior inimicus , quem  
homo possit habere.

20. *Gloriosa Domine* ! Benedictus sit  
gladius tuæ Justitiæ, qui stat super illos,  
qui sunt fures & raptiores & scelerati ; &  
benedicta sit tua Misericordia, quæ obum-  
brat in requie omnes illos , qui sunt inju-  
riati, & habent patientiam in omnibus, quæ  
contra eos fiunt.

21. Cúm ego , *Domine DEVS* , de-  
G beam

beam multúm timere tuam Justitiam propter injurias, quas feci meis inimicis, quanto plus debedo eam timere propter injurias, quas feci meis cognatis & amicis, quos, dum confidebant in me, injuriabam?

22. h. *Essentialis Domine prior omnibus principiis & posterior omnibus finibus!* Sicut homo injuriosus se vestit, & se tegit falsitate & proditione & ingratitudine; ita beatus injuriatus se vestit verâ patientiâ & vero amore, & se demonstrat plenum fidelitate & justitiâ.

, 23. *Vere Domine!* Quoties ego honoro me ipsum, & me laudo & magnifico apud gentes, toties sum injuriosus mihi ipsi; & quoties contemno me ipsum, & cognosco meam vilitatem & meam culpam, toties sum justus mihi ipsi.

24. Benedicta sit, *Domine*, tua Justitia, quæ injuriatos pacientes elevat ad altitudes, de quibus descendunt per vilia opera injuriosi, & cunct in loca infima.

25. i. *Domine, cui debetur obedientia, & qui es invocatus & desideratus & volitus, sapiens*

*piens in omnibus rebus!* Lætentur omnes beati patientes injuriati, & dent laudes & cantica dulcedinis suo Creatori & suo justo Judici; & tristentur mali impatientes injuriosi, & præparent se ad sustinendum pœnas infernales perdurabiles.

26. Si beati injuriati malè tractantur ab injuriosis, lætentur, *Domine*, in tua Justitia, quæ vocat & invitat eos ad possessionem perdurablem gloriæ; &, si injuriosi occidunt & spoliant & malè tractant injuriantos, memorent transitum ex hac brevi vita & tuam Sententiam , quæ eis mandat ire in ignem perdurablem.

27. Si homines injuriati, *Domine*, vincuntur & coguntur à malis hominibus injuriosis, etiam mali injuriosi vincuntur & superantur à tua Justitia & à patientia bonorum hominum injuriatorum.

28. K. *Singularis Domine sine pari & socio!* Sanctitas & Gloria & Honor dentur & cognoscantur tuis Justitiæ , quæ est media inter hominem injuriosum & hominem injuriatum ; & sicut perversus homo læta-  
tur

100 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
tur & delectatur, quando facit iniqutatem  
& injuriam, ita tua Justitia lætificat &  
confortat beatos injuriatos in patientia ip-  
orum.

29. Si tua Justitia, *Domine*, vincit &  
cogit malitiam injuriosorum, benedicta sit  
tua Misericordia, quæ est mater & amica  
omnium illorum, qui eam invocant.

30. Cùm tua Misericordia, *Domine*,  
faciat gratiam patientiæ beatis injuriatis  
patientibus, & tua Justitia præparet tor-  
menta injuriosis; quare plús appretiantur  
& honorantur in hoc mundo homines in-  
juriosi, quàm injuriati, qui confidunt in tua  
Misericordia divina?

## CAPUT LXXVI.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS** sit justus inter hominem justum  
& hominem peccatorem.

i. **D**ivine Domine, sanctificate, gloriose!  
a. Virtus & Honor dentur tux mag-  
nae

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVI. 101*  
næ Justitiæ, quæ præmiat homines justos,  
qui renuntiant bonis temporalibus pro tuo  
amore, dando eis gloriam & beatitudinem  
in altero sæculo.

2. Unde , quando homines justi, *Domi-*  
*nine*, verâ intentione & pro tuo Amore  
renuntiant rebus mundanis, tua Justitia eis  
multiplicat multò majorem fœlicitatem &  
beatitudinem , quàm sint res , quas relin-  
quunt in hoc sæculo.

3. Quando homines sancti , justi, ve-  
races contemnunt, *Domine*, vitam munda-  
nam & desiderant vivere Tecum in tua  
Gloria, tua sancta Justitia loco hujus bre-  
vis vitæ, quam contemnunt, dat eis in Glo-  
ria vitam perdurablem infinitam.

4. b. *O Domine DEVS, qui resuscitas*  
*mortuos & sanas infirmos!* Benedicta sit tua  
sancta Justitia , quæ peccatores judicat ad  
perdurabiles pœnas & ad infinitos labores,  
quia in hoc mundo plús timent pœnas fi-  
nitas, quàm perdurabiles.

5. Et, quia plús amant vanas delecla-  
tiones transitorias, quàm beatitudines, quæ  
nunquam

102      *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
nunquam habebunt finem , ideo , *Domine*,  
sunt digni torqueri in igne perdurabili.

6.      Cúm peccatores, *Domine*, Tibi sint  
culpabiles in corpore & anima , benedicta  
sit tua Sententia, quæ eos punit in corpore  
& anima; quia , sicut corpus Tibi est cul-  
pabile per concupiscentiam vanarum de-  
lectationum , & anima Tibi est culpabilis  
per defectum sapientiæ, ita corpus & ani-  
ma sustinebunt in altero sæculo pœnam, à  
qua se non poterunt defendere.

7. c.      *Singularis Domine sine pari & socio,*  
*abundans omnibus nobilitatibus & omnibus*  
*honorificentiis!* Benedicta sit tua magna Jus-  
titia & omne , quod tuum est; quia adeò  
justus es ; quòd homines peccatores , qui  
inhonorant & maledicunt justos, quamvis  
eos calumnientur & inhonorent , tamen  
reputant eos bonos in suo corde: unde be-  
nedicta sit tua Justitia , quæ in conscientia  
peccatorum facit esse honoratos homines  
justos.

8.      Tuæ Justitiæ, *Domine*, detur & cog-  
noscatur Gloria & Honor ; quia , licet ho-  
mines

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVI.* 103  
mines falsi, illegales, deceptores, vanigloriosi sint honorati in hoc mundo , tamen, qui eos honorant & laudant , cognoscunt eorum malitiam & falsitatem: unde benedicta sit tua Justitia, quæ in cogitationibus & mentibus aliorum punit eos, & facit eos reputari tales, quales sunt.

9. Propter magnam abundantiam Justitiæ, quam Tu, *Domine*, habes , es justus Judex inter hominem ignorantem & hominem scientem ; quia , si homo ignorans per ignorantiam & per defectum scientiæ errat, tua Justitia eum excusat , & non punit eum gravibus pœnis ; & , si homo sciens errat per nimiam præsumptionem scientiæ , tua Justitia eum punit gravibus pœnis, & non admittit ab eo ullam excusationem.

10. d. *Sanctificate Domine, Salvator tui populi!* Sicut ignis velociter comburit & delet lignum aridum ; ita tua magna Justitia se movet ad puniendum & destruendum omnes illos, qui desperant de tua Misericordia.

ii, Si

11. Si ignis, *Domine*, comburit totam domum, similiter comburit quidquid est in ea: unde, cùm ego sim totus circumdatus & comprehensus intra tuam Justitiam, quia sum plenus peccato, valde paveo ipsam, ne faciat ardere meum corpus & meam animam in igne infernali.

12. Cùm tua Justitia, *Domine*, me circumdet, & ego sim totus plenus peccato, quinam timor debet esse similis meo, cùm mea anima sciat Te verum Judicem, cui nihil est occultum?

13. e. O *Domine*, qui comprehendis omnia, & vincis & superas omnia, quæ Tibi resistunt! Amor & reverentia & honor fiant tuæ Justitiæ, quæ non vult esse in paradyso delectationes cibi & potus, nec delectationes carnales virorum & mulierum; quoniam, si in gloria essent tales delectationes, tua Justitia non esset perfecta, quia ibi essent defectus.

14. Quia homines justi non debent glorificari in gloria, *Domine*, nisi à tua Gloria, nulla res, præter Te est digna dare Gloriam

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVI. 103*  
Gloriam in paradiſo; & ideo rationabile  
& justum eſt, quod homo non habeat glo-  
riam niſi à Te & de Te.

15. Cūm inter corpus & animam ho-  
mo non habeat niſi unum intellectum &  
unam mentem, eſt conveniens & justum,  
*Domine*, quod homo non ſentiat gloriam  
in paradiſo comedendo nec bibendo; quia,  
ſi eam ſentiret, oportet eum habere uno  
tempore duas conſiderationes, quarum una  
glorificaretur in Te, & altera in cibis &  
potibus.

16. f. *Domine vere DEVS, qui liberas*  
*& defendis tuos beatos amicos a suis labo-*  
*ribus & a suis gravibus doloribus!* Cūm Tu  
ſis justus in omnibus rebus, & tua Justitia  
comprehendat omnes vias & omnia loca,  
& ego ſim valde peccator per omnes vias  
& per omnes meas partes, ſi ita ſit, quod  
puniar & torquear per omnes meas partes  
& vias, ubi erit tunc tua magna Miferi-  
cordia, quae eſt per omnia loca hujus  
mundi?

17. Cūm ego totus circumder & com-  
pre-

prehendar à tua Justitia , *Domine* , suppli-  
co , & peto gratiam à tua sancta Miseri-  
cordia , ut me protegat & defendat , ne tua  
Justitia me confundat & damnet ad per-  
durabilia tormenta .

18. Sicut invoco & oro & precor tuam  
benedictam Misericordiam , ut me defendat  
ab ira tuæ Justitiæ , ita peto gratiam , *Do-  
mine* , à tua sancta Justitia , ut defendat me  
am animam , ne sit serva & constricta sub  
corpo , quia non pertinet ad corpus esse  
supra creaturam nobiliorem se .

19. g. *Divine Rex Glorie, Principium  
& Finis omnium rerum!* Quia damnati ad  
ignem perdurablem non confidunt in tua  
Misericordia , *Domine* , & desperant de  
ipsa , tua magna Justitia non permittit eos  
deleri & consumi à poenis , quas susti-  
nent , ut tantum duret eorum poena , quan-  
tum durat desperatio , quam habent de tua  
Misericordia .

20. Cúm in cordibus damnatorum ,  
*Domine* , non sit amor , & tua præsentia sit  
absens ab oculis eorum , & tua Laus non  
sit

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVI.* 107  
sit in oribus ipsorum, tua Justitia tenet &  
tenebit eos privatos omni beatitudine &  
omni requie.

21. *Dum meum cor potest amare in*  
*hoc mundo & potest confidere in tua Mi-*  
*sericordia, & dum mei oculi possunt vide-*  
*re tuas vias, & meum os potest laudare Te,*  
*precor Te, Domine, ut facias meum cor*  
*amare Te, & confidere in tua Misericor-*  
*dia, & facias meos oculos respicere Cru-*  
*cem, & meam linguam moveri ad laudan-*  
*dum Te.*

22. h. *Perdurabilis Domine, Pater om-*  
*nium temporum!* Sicut secundum rationem  
& justitiam tua ira debet esse supra me ra-  
tione mortalium defectuum, quos feci con-  
tra Te; ita precor & supplico tuae sanctæ  
Misericordiæ, ut ira, quam debes habere  
contra me, extinguitur per magnam abun-  
dantiam miserationis.

23. Reges & Principes & magni Do-  
mini, quando homines viles miseri eos in-  
honorant, vel eis resistunt, pro nihilo hoc  
reputant, & non curant de inhonorationi-  
bus

bus & resistentiis ipsorum: igitur, cùm Tu,  
**Domine**, sis adeò altus & nobilis Dominus,  
& ego sim adeò fragilis creatura, placeat  
tuæ Justitiæ non excitare se ad iram con-  
tra me, & pro nihilo reputare meos de-  
fectus.

24. Sicut Tu, **Domine**, non meliora-  
ris, si sim Tibi obediens & servus & be-  
nevolus; ita non deterioraris, si sim Tibi  
inobediens & disserviens: igitur, quoniam  
Tibi nihil profundunt meæ virtutes, nec Tibi  
nocent mei defectus, placeat Tibi non vel-  
le uti in me solâ Justitiâ sînè Misericor-  
dia.

25. i. *O Magnitudo super omnes magni-  
tudines! O Virtus super omnes virtutes!*  
Quando peccatores videbunt in die judi-  
cii se judicari justè, & scient contra tu-  
am Sententiam nihil valere sophismata nec  
excusationes nec advocationes, tunc cog-  
noscent esse magnam tuam Justitiam.

26. Nam tua preiosa Caro, quam af-  
sumpsisti in nostra Domina sancta MARIA,  
& tuus benedictus Sanguis, quem effudisti  
in

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVI. 109*  
in vera Cruce , tunc justè dicent peccato-  
ribus , ut vadant ad damnationem in igne  
perdurabili, quia fuerunt ingrati tuæ Justi-  
tiæ & tuæ Misericordiæ.

27. Amores & fletus & suspiria & lega-  
litas & veritas & gratitudo & fortitudo &  
continentia & omnes aliæ virtutes , quas  
habuisti , *Domine* , in hoc mundo in tua  
Humanitate, invitabunt beatos ad gloriam  
in die judicii per operationem rectæ & juf-  
tæ sententiæ.

28. K. *Domine infinite, complete, perfec-  
te, honorate, sanctificate, amate, gloriose!*  
In die judicii omnia plana & montes &  
maria & flumina & totum spatum, quod  
est à cœlo usque ad terram , erunt plena  
tuâ Justitiâ : igitur, cùm ego sim totus ple-  
nus peccato, ubi tunc inveniam tuam Mi-  
sericordiam?

29. Sicut mei oculi, *Domine* , non au-  
dent directè aspicere solem, quando est in  
sua fortitudine, ratione splendoris exeuntis  
ab eo ; ita in die judicii, si ita sit , quòd  
non inveniam tuam Misericordiam , non  
audebo

110      *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
audebo stare directè coram tua justa Sen-  
tentia.

30.      Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis  
suprema Bonitas & suprema Perfectio vir-  
tutum, si ita sit, quòd inveniam tuam Jus-  
titiam, placeat Tibi, ut eam inveniam cum  
tua Misericordia; quoniam tua Misericordia  
est in tua Substantia Virtus & Proprietas  
divina.

## CAPUT LXXVII.

*QVOMODO DEVS SIT JVS-  
tus in hominibus Catholicis & in infide-  
libus.*

1.      **O** *DEVS* large super omnes largita-  
tes, perfecte in omnibus bonitatibus,  
benevolite per omnes terras! Gloria & gra-  
tia & benedictio sint, *Domine*, tuæ Justitiæ,  
quæ vult fideles Christianos habere veram  
Fidem; quam possident per doctrinam suo-  
rum parentum.

2.      Aliqui Christiani sunt, qui habent  
veram

veram Fidem per demonstrationem sapientiae & intellectus, & aliqui, qui habent eam sinè ulla demonstratione: unde benedicta sit, *Domine*, tua magna Justitia; quia quidam merentur gloriam per hoc, quòd credant veritatem per Fidem, in qua sui parentes eos posuerunt, & alii merentur gloriam, quia per sapientiam percipiunt veram Fidem.

3. „Tuus servus, *Domine*, & tuus captivus Te adorat & laudat & benedicit,  
„quia ei fecisti gratiam, quòd sit fidelis  
„Catholicus ratione sui patris & suæ ma-  
„tris, qui fuerunt fideles Christiani; & eti-  
„am Te laudat & Tibi agit gratias, quia  
„eum certificasti in Fide christiana ratio-  
„ne verarum probationum & significatio-  
„num & manifestarum rationum, quas  
„invenit in *Libro Petitionum & Questio-*  
„*num*.

4. b. *Sapiens Domine, patiens, Directio & Lumen fidelium Catholicorum!* Infideles, qui sunt in errore per suos parentes, qui eos posuerunt in fide & credentia erroris, putant

412 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
putant esse excusati à tua Justitia , & di-  
cunt se velle credere id, quod sui parentes  
& avi & proavi & antecessores credide-  
runt ; & propterea nolunt aspicere secun-  
dum intellectum & rationem, an fides, in  
qua sunt, sit vera vel falsa : unde, sicut sui  
parentes cœcè secuti sunt suos antecesso-  
res, ita filii cœcè sequuntur suos paren-  
tes.

5. Alii infideles sunt , Domine, qui  
fiant in errore, quia affirmant ea, quæ fiunt  
per operationem naturæ, & evitant crede-  
re ea ; quæ fiunt per operationem virtutum  
contrariantium cursui naturali ; unde om-  
nis iste error est in eis per hoc , quòd ni-  
mis utantur potentiam imaginativam, & pa-  
rum potentiam rationali.

6. Quia infideles, Domine, plús affir-  
mant res , quæ cadunt in imaginationem  
per cursum naturæ, quàm res, quæ cadunt  
in rationem per cursum justitiae & ordina-  
tionis , ideo sunt in errore, & debilitant  
& destruunt directionem potentiae ratio-  
nalis in hoc, quòd imaginativa non offe-  
rat

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII.* 113  
rat rationali id , quod ei esset necessarium recipere ; & propterea illorum ratio sequitur imaginationem , sicut homo ambulans in tenebris sequitur præeuntem.

7. c. *Placens Domine , plene Gratiâ & Pietate & Sanctitate !* Hæretici & infideles , qui sunt in errore per credentiam , in qua sui parentes eos nutriverunt , difficilis convertuntur , quām qui sequuntur rationes & amant probationes ; quia non amanti probationes nihil valent rationes & argumenta , & amanti ipsas , multūm valent , quoniam sunt ei occasio exeundi à falsa opinione & credentia .

8. Nam , sicut homo fortis habet potestatem prosternendi debilem , ita , *Domine* , quando evenit , quòd falsa argumenta & falsæ rationes pugnant contra veras rationes & probationes , veræ habent potestatem vincendi & destruendi falsas .

9. Quamvis infideles , *Domine* , qui sunt in errore per fidem suorum parentum , plūs ament fidem , quām rationes & argumenta , tamen non est impossibile eos ej-

cere de suo errore per continuationem rationum & verarum probationum; quia quando sua imaginativa imaginatur rationes, quæ ei multoties proponuntur, non potest eas non offerre potentiae rationali; &, quando ista eas recipit, concordat cum eis, quia sunt suæ naturæ, & ita per convenientiam, quæ est facta in rationali potentia infidelis, cognoscit ipse & percipit suum errorem & suum defec-  
tum.

10. d. *Vere Domine, nobilis in omnibus nobilitatibus!* Benedicta sit tua Justitia, quæ nobilitavit Catholicos super omnes alias gentes; quia ipsi affirmant ea, quæ fiunt per cursum naturæ, & credunt ea, quæ fiunt contra ipsum.

11. Unde per hoc fideles Christiani, *Domine,* habent perfectionem Fidei, quia omnia vident esse possibila tuæ Sapientiae & tuæ Potestati, sive sint secundum operationem naturæ, sive secundum operationem miraculosam.

12. Unde gloria & honor & gratia-  
rum

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII.* 115  
rum actiones fiant, *Domine*, tuæ Justitiæ,  
quæ adeò magnam differentiam posuit in-  
ter fideles & infideles; quia fideles habent  
majorem respectum in operatione, an de-  
beat fieri vel non secundum dispositio-  
nem tuæ Sapientiæ, quàm secundum dis-  
positionem naturalis potestatis; & infideles  
plús respicitur, an possit fieri secundum  
dispositionem potestatis naturalis, quàm  
secundum dispositionem tuæ Potestatis &  
Sapientiæ.

13. e. *Gratoſe Domine, abundans gratiā*  
*& benedictione!* Tuæ Justitiæ sit gloria &  
honor; nam, quia fidelis Catholicus credit  
ea, quæ sua imaginativa non potest com-  
prehendere nec imaginari, & tamen ea  
credit, ideo meretur remunerationem; quo-  
niam in hoc confitetur & fatetur Te posse  
plus facere, quàm sua imaginatio compre-  
hendere.

14. *Amoroſe Domine!* Non est ita de  
infidelibus, quia ipsi nolunt credere in  
tuis operibus ultra id, quod sua imaginatio  
potest imaginari, imò discredunt omne id,  
quod

quod transcendit ipsam ; & propterea se jactant tantum intelligere , quantum tua Potestas possit operari ; & hoc est magnus error & magna hæresis , ratione cuius tua Justitia eos damnat ad perdurabiles labores.

15. Omnes Catholici tenemur , Domine , devotè & lætanter & alacriter date laudes de tua Justitia , quæ dat nostræ Fidei præmium gratiæ & benedictionis perdurabilis , & dat infidelibus infinitas pœnas ratione suæ falsæ credentiaæ.

16. f. O grata Domine , plene benedictione , liberalis in omnibus bonis ! Cūm sint aliqui infideles , qui putant placere Tibi per credentiam , in qua sunt , & per opera , quæ faciunt , quamvis sua intentio sit laudabilis , tamen secundum tuam magnam Justitiam ipsi non salvantur ; quia , cūm non habeant veram Fidem , tua Justitia non admittit eos venire ad gloriam , quoniam non incedunt per credentiam nec per opera viæ veritatis .

17. Tuæ sanctæ Justitiæ , Domine  
DEVS ,

**D E V S**, detur laus & honor, quæ hæreticis & infidelibus dat remunerationem, quando habent bonam intentionem opinando suam fidem esse veram, & opera quæ faciunt, Tibi placere; quoniam propter bonam intentionem, quam habent erga Te, eis allevias infernales pœnas, ne sint adeò magnæ, sicut essent, si tam bonam intentionem non haberent.

18. Quando Catholici moriuntur in peccato, benedicta sit, *Domine*, tua Justitia, quæ eos fortius torquet, quam infideles, qui moriuntur in bona intentione; quia, sicut infideles perdunt salvationem propter defectum veritatis, quam non credunt, ita Catholici debent plius torqueri, qui non fuerunt amatores Veritatis.

19. g. *Domine, cui servitium, honor, amor & obedientia debentur!* Si infideles intrant in infernum, hoc fit, quia sequuntur viam, à qua venit peccatum, hoc est peccatum Adami, quod fuit principium omnis peccati.

20. Qui est infidelis, *Domine*, per hoc,  
quod

quòd sua credentia sit extra veritatem, deviatione à veritate facit ei apparere, quòd Tu creaveris hominem plús, ut possideat gloriam, quàm ut in eo cognoscatur tua magna Bonitas: unde, si hoc ita esset, sequeretur, quòd homo esset creatus plús ad possidendum gloriam, quàm ad cognoscendum tuam Nobilitatem.

21. Igitur, *benedicte Domine*, benedicta sit tua Justitia, quia Catholici non habent talem intentionem; quoniam, quando imaginantur & perpendunt causam, propter quam dedisti *esse* homini, confitentur & fatentur hominem devenisse in *esse* plús, ut Te laudet & amet & honoret & cognoscat & Tibi serviat, quàm ut possideat gloriam: unde, quia Catholici habent istam intentionem ordinatam, ideo confitentur Creatorem habere majorem amorem ad se ipsum, quàm ad suam creaturam.

22. h. *Singularis Domine, DEVS amore, plene benignitate & dulcedine!* Si infideles fatentur & confitentur non esse, nisi unum

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII.* 119  
unum Dominum sinè pari & socio , hoc  
idem fatentur & confitentur fideles.

23. *Gloriose Domine!* Sicut infideles  
non audent credere in tuam Trinitatem,  
quia timent , ne credant in tres Deos , ita  
Catholici non audent dubitare in ipsam,  
quia timent, ne credant contra tuam Uni-  
tatem.

24. Quantam virtutem & nobilitatem  
dant & attribuunt tuæ divinæ Essentiæ in-  
fideles, *Domine*, per suam fidem, tantam &  
adhuc multò majorem ei attribuunt Ca-  
tholici per hoc, quòd credant in tuam Tri-  
nitatem & in tuam Incarnationem.

25. i. *Preciose Domine, Consolator orpha-  
norum & tribulorum!* Tibi detur omnis  
sanctitas & benignitas & pretiositas; nam  
infideles dubitant credere in tuam Incar-  
nationem, quia putant, quòd per eam  
perverteretur Deitas in humanitatem; &  
sic putant, quòd Deitas habuisset passio-  
nem & fuisset mortua.

26. Unde, sicut infideles, *Domine*, evi-  
tant credere tuam Deitatem esse conver-  
sam

sam in Humanitatem, & sustinuisse Passionem, ita id ipsum evitant credere Catholici; quia nullus fidelis Christianus credit tuam Deitatem reliquisse esse divinum, & se mutasse in humanam naturam, nec habuisse passionem & mortem.

27. Imò credunt, *Domine*, Humanitatem, quam assumpsisti, solùm sustinuisse laborem & mortem, quin Deitas aliquid sustinuerit, nec fuerit ulla tenus mutata nec alterata de sua natura.

28. K. O verum *Lumen, Splendor & Lux omnium aliorum luminum & Directio omnium benedictionum*! In quantum tua gratia aggratiavit Catholicos per veram Fidem super infideles, in tantum, *Domine*, sunt fideles onerati & obligati ad demonstrandam veram Fidem infidelibus.

29. Sed, quia nos, *Domine*, sumus occupati in congregando delectationes & vanitates in bonis temporalibus, ideo obliviscimur & discognoscimus onus & obligationem, in qua sumus, amandi & juvandi & dirigendi infideles, qui ratione nos-

tri

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVI. Cap. LXXVII.* 121  
tri defectus manent excœcati in tenebris  
infidelitatis.

30. „Unde de ista injuria, quam nos,  
„*Domine*, facimus infidelibus in hoc,  
„quod eis non prædicemus, nec eos instru-  
„amus, ut exeant de suo errore, conque-  
„rentur apud Te in die judicii, & male-  
„dicti erunt illi, qui non habebunt suffi-  
„cientem excusationem: unde tuus servus,  
*Domine*, agit Tibi gratias, quia ei dedisti  
gratiam perficiendi istam Distinctio-  
nem, quæ tractavit de gloria  
Justitia divina.

DISTINCT.



# DISTINCT. XVII.

**DE LARGITATE NOSTRI  
mini Dei.**

## CAPUT LXXVIII.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS** fit largus erga omnes creaturas.

i.  
a.



*EVS misericors, pie,  
supreme in omnibus bo-  
nis ! Gloria & Honor  
& Sanctitas & Nobili-  
tas, Domine, cognos-  
cantur tuæ sanctæ Lar-  
gitati, quæ per suam  
magnam abundantiam & liberalitatem de-  
dit esse omnibus creaturis.*

2. Non solùm tua Largitas demon-  
stratur esse magna, Domine, in hoc, quòd  
dederit esse creaturis, sed etiam in hoc,  
quòd eas sustenteret, quia omnes delerentur  
&

*V. I. Li. II. Di. XVII. Cap. LXXVIII.* 123  
& reverterentur in nihilum, nisi tua Lar-  
gitas eas sustineret in *esse*.

3. Cúm tua Largitas, *Domine*, de-  
beat laudari, quia dedit *esse* creaturis, &  
quia eas sustinet in *esse*, etiam debet lau-  
dari, quia creaturis appropriavit proprie-  
tates, & dedit naturam, quâ habeant mo-  
dum vivendi & inquirendi res, quæ ei-  
sunt necessariæ ad vivendum.

4. b. *Creator Domine, sapiens super om-  
nes Sapientias!* Benedicta sit tua Largitas,  
quæ dedit vegetabilibus radices, quibus  
sumant vitam, & dedit eis branchas & flo-  
res & folia & fructus & semina, per quæ  
repullulent & renoventur, ne sua natura  
pereat.

5. Debes etiam, *Domine*, cognosci  
largus, quia Tibi placuit dare vegetabili-  
bus pluvias & aquas & ventos & calores &  
frigora & humiditates & siccitates, ut pos-  
sint multiplicari & fructificare super ter-  
ram.

6. *Amoroſe Domine!* Laudetur tua  
Largitas, quæ dedit vegetabilibus terras  
planas

124 . . . *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
planas & montuosas & loca diversa, secun-  
dum quod eorum qualitates requirunt.

7. c. *Æterne Domine, mirabilis, pati-  
ens, plene gratiâ!* Benedicta sit tua magna  
Largitas, quæ dedit animalibus plantas &  
campos & nemora, ut habeant, unde &  
ubi vivant.

8. Tua Largitas, *Domine*, dedit ali-  
quibus animalibus vivere ex herbis & semi-  
nibus, & aliquibus vivere ex aliis; & be-  
nedicta sit tua Largitas, quæ dedit anima-  
libus pellem & lanam, ut eis sit vestimen-  
tum.

9. Dedit etiam, *Domine*, tua Largi-  
tas avibus plumas pro vestimentis, & alas  
ad volandum, & rostrum ad comedendum,  
& pedes ad eundum, & ungues ad capien-  
dum, & arbores, ut in eis nidificant &  
habitent.

10. d. *Domine magne, Domine fortis, Do-  
mine liber!* Gloria & honor sint tuæ ho-  
noratae Largitati, quæ dedit piscibus maris  
aqua salinas, in quibus vivant, & piscibus  
fluminum aquas dulces; unde omnia supra-  
dicta

11. *Beate Domine!* Tu dedisti cuilibet animalium idioma secundum suam speciem, per quod idioma quodlibet intelligit suum simile, & unicuique dedisti vocem, quam cantando soletur & jucundatur.

12. In quantum in terra & in mari & in fluminibus & in aere crescunt & multiplicantur animalia & vegetabilia, in tantum demonstratur in eis, *Domine*, tua magna Largitas: igitur, cum animalia & vegetabilia sint tot & tam diversa, quis posset aestimare & comparare Magnitudinem & Nobilitatem tue Largitatis?

13. e. *O Rex Regum! O Domine Dominorum!* Gloria & amor cognoscantur in tua Largitate; quia adeo est magna, quod non sit creatura, quae tantum posset dare, quantum Tu ei dares; quoniam, quod plus dant creaturæ, eò plus se extendit tua Largitas dando eis potestatem dandi.

14. Cum tua Largitas, *Domine*, sit adeo magna, quod nec cor nec intellectus sufficiat

ciat ad intelligendum & comprehenden-  
dum ejus Magnitudinem, quis est ille mi-  
ser, qui conqueratur de tuis donis, &  
ille infelix, qui desperet de tua Misericor-  
dia?

15. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis  
adeò largus in dando, beati sunt omnes,  
qui Tibi dant suum cor, ut sit locus, in  
quo Te ament, & timeant, & velint, &  
desiderent.

16. f. O *Domine DEVS*, qui dirigis er-  
rantes & illuminas cæcos & confortas fragi-  
les! Cúm Tu sis adeò largus & liberalis in  
tot rebus & tot creaturis, rationabile est,  
quod omnes viri & mulieres dent clamores  
& cantica & voces & laudes & benedi-  
tiones de tua magna Largitate.

17. Nam sicut Tu, *Domine*, das pla-  
cita & delectationes animâlibus, quando  
alia solantur & delectantur cum aliis, ita  
habes placitum, quando tui populi Te  
amant & honorant & colunt & sanctifi-  
cant.

18. Si Tu, *Domine DEVS*, es adeò  
largus

largus & liber & liberalis erga tuum populum de bonis hujus mundi, quis est ille inconsideratus, qui sit avarus in suo corde in amando Te, & in suo ore in laudando Te? & quis est ille, qui est piger in elevando suos oculos versus cœlum?

19. g. *Æterne Domine, Principium & Finis omnium creaturarum, Pater & Domine omnium rerum!* Tua Largitas se extendit in aliquibus creaturis plūs, quàm in aliis; quia quasdam fecisti máiores & meliores & pulchriores & nobiliores aliis, & quibusdam dedisti dominium super alias.

20. Cúm quædam animalia irrationalia, *Domine*, obedient aliis, & quædam timéant alia, deberemus omnes amare tuam Largitatem, quæ nos nobilitavit super omnia alia animalia, & omnes deberemus eam revereri & honorare.

21. Sed ego, *Domine*, me reputo valde vilem & culpabilem, quia cogito animalia irrationalia recognoscere placita, quæ eis fiunt, & ctiam displicita, & ego nunquam scivi honorare nec revereri tuam Largitatem,

128 · B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
tem, quæ me nobilitavit humano esse, nec  
cognovi meos inimicos nec Te, qui es  
meus bonus amicus.

22. h. O Domine, qui es Coactor & Victor  
omnium rerum, quæ Tibi resistunt! Benedicta  
sit tua magna Largitas, quæ in donis, quæ  
dedit, & dat animalibus irrationalibus con-  
venienter secundum esse & dispositionem  
ipsorum, docet nos à Te petere dona, quæ  
sunt nobis necessaria secundum nostram  
dispositionem.

23. Si Tu, Domine, es largus vegetabi-  
libus & animalibus irrationalibus & aliis  
creaturis, quæ non habent cognitionem de  
Te, manifestè videtur, quòd debeas esse  
largus & gratus hominibus, qui habent  
cognitionem de Te, & sunt amatores &  
laudatores tuæ magnæ Largitatis.

24. Veruntamen, Domine, cùm ego  
fuerim adeò peccator, & sim adeò culpa-  
bilis, quia Tibi fui ingratus, & discognovi  
bona, quæ mihi dedisti, multò digniores  
sunt bestiæ possessione donorum, quæ cis-  
tisti, quàm ego illorum, quæ mihi de-  
disti.

disti.

25. i. *Domine, qui dirigis & ducis Catholicos & homines sanctos ad perdurablem gloriam!* Tu dedisti multas bonas proprietates animalibus & vegetabilibus; propter quæ dona nos deberemus amare omnia illa, quæ à Te donum recipiunt.

26. Sed quia nos, *Domine*, sumus res viles, & non habemus intelligentiam & cognitionem; ideo amamus creaturas propter se ipsas plús, quàm propter dona, quæ eis dedisti.

27. Propterea, *Domine*, erramus, quia valde mirum est, quòd aliquis amet dona, quæ recipit plús, quàm datorem illorum donorum.

28. K. Tibi, *Domine DEVS*, qui audis omnes, qui Te invocant, & exaudis omnes, qui in Te confidunt, detur gloria & honor; quia omnia dona, quæ dedisti vegetabilibus & animalibus, quodlibet ipso-rum amat & habet ea chara, quantum potest.

29. Et quòd hoc ita sit, in quolibet  
I ipforum

ipsorum demonstratur, quotiescunque quædam individua velint destruere alia ; quia quodlibet nititur, quantum potest, sustinere se in *esse*, ne pereat, & ne suæ proprietates & sua natura transeant in alias proprietates & in aliam naturam.

30. Cúm omnia tua dona sint bona, & sunt dona perfecta, *Domine*, & omnes, quibus das, ament ea, quæ eis das; si nos essemus tales, quales deberemus esse, habemus magnam rationem laudandi & benedicendi tuam magnam Largitatem divinam.

## CAPUT LXXIX.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS** sit largus erga hominem, quia ei dedit esse humanum.

1. **O** *DEVS liber, liberalis, large super omnes largitates !* Tibi, *Domine*, sit gloria & benedictio, qui es adeò largus Dator erga hominem, quòd ei dederis *esse* hu-

*Vol. I.Lib. II.Dist. XVII.Cap. LXXIX.* 131  
humanum, quod est valde altum & nobile  
donum.

2. *Sicut Tu, Domine*, nobilitasti ho-  
minem per *esse* humanum, quod ei dedisti,  
ita ipsum nobilitasti per opera virtutum,  
per quæ possit venire ad perpetuam bene-  
dictionem.

3. *Cum Tu, Domine Deus*, nobili-  
taveris hominem per creationem quantum  
ad suum *esse* & quantum ad sua opera, mag-  
nam rationem habet homo Te laudandi  
& benedicendi & memorandi, & Tibi gra-  
tias agendi propter magna dona, quæ ei  
dedisti.

4. b. *Patiens Domine, Remissor, Sustentator & Adjutor noster!* Si Tu dedisti homini  
magna & multa dona, rationabile est, quòd  
ipse sit liberalior & largior erga Te, quam  
aliæ creaturæ, quibus non tantum de-  
disti.

5. *Honorate Domine!* Cum Tu dederis  
mihi tuo servo *esse* humanum, & ego totâ  
mê vitâ fecerim opera bestialia, quid erit  
de me, qui non servavi, quod Tibi promisi,  
• nec

nec fui Tibi gratus pro bonis , quæ mihi dedisti, nec cognovi dominium, quod habes in me?

6. Sicut tua Largitas , *Domine*, est super omnes alias largitates, ita mea avaritia transcendit omnes avaritias; nam sicut Tu es largior, quia das nobiliora dona , quàm ~~aliis~~, ita ego sum avarior viliorum donorum, quàm aliis.

7. c. *Æterne Domine, perdurabilis, Principium & Finis omnium rerum!* Sicut Tu es laudandus ratione Largitatis, ita homines sunt reprehendendi ratione avaritiæ; quia, sicut Tu es largior erga homines , quàm erga alias creaturas, ita homines sunt avariores erga Te, quàm erga aliam rem.

8. Benedictus sis, *Domine Deus*, qui vis homines, qui sunt avari erga Te, plus carere donis gratiæ, quæ Tu das, quàm homines, qui sunt largi erga Te.

9. Cúm tua Largitas, *Domine Deus*, Te faciat esse Creatorem & Dominum & Benefactorem nostrum, maledicta est cupiditas, quæ facit homines discognoscere bona,

quæ

*Vol. I. Lib. II. Di. XVII. Cap. LXXIX.* 133  
quæ recipiunt à Te , & gratias , quas tua  
Largitas eis facit.

10. d. *O Domine DEVS, qui complex &*  
*servas omnia , que promittis!* Cúm omnes  
alii datores non possint dare adeò nobilia  
dona , sicut Tu das , & omnes sint avari  
respectu tuæ Largitatis , stulti sunt omnes ,  
qui ab alio petunt , nisi à Te , & qui ab ullo  
alio domino sperant dona , nisi à Te .

11. Igitur stultus fui , *Domine* , qui pe-  
tii dona ab hominibus divitibus , qui sunt  
avariores pauperibus ; & stultus fui , quia ,  
quando inveniebam in eis avaritiam , non  
recurrebam ad tuam magnam Largita-  
tem .

12. *O Liber Domine , plene Gratia !*  
Nulla amentia & stultitia est comparanda  
cum illa , quæ est in hominibus petentibus  
ab aliis , in quibus est fons ingratitudinis &  
avaritiæ , & in obliscentibus tuam Largi-  
tatem , quæ est fons vivus durabilium dono-  
rum & perdurabilis beatitudinis .

13. e. *Sapiens Domine , sciens omnia , a*  
*quo nullæ res sunt absconditæ!* Homines lar-  
gi

gi & boni dатores libentiūs dant nobilia  
dona, quām vilia: igitur, qui vult esse lar-  
gus erga Te, primum , quod Tibi debet  
dare, est suum corpus & sua anima, & pos-  
tea omnia, quæ possidet.

14. Si homo Tibi, *Domine*, primò det  
corpus & animam , faciliūs poterit Tibi  
flare de suis denariis vel de suo frumento  
& de aliis rebus, quas possidet; quia , qui  
dat se ipsum, faciliter dabit, quidquid pos-  
sideret.

15. „Cūm ego , *Domine* , in meliori  
tempore meæ ætatis me dederim totum  
„peccato, & omnia, quæ possidebam, sub-  
„jecerim & disposuerim ad peccatum, &  
„cūm nunc non sim in tam bona ætate si-  
„cut eram, nec habeam tot bona tempora-  
„lia , quot habebam , si nunc velim Tibi  
„dare me ipsum & omnia mea, non vide-  
„tur mihi, quòd magnam gratitudinem  
„debeas mihi habere.

16. f. O *Domine DEVS* , qui custodis &  
defendis tuos fideles amicos a suis mortali-  
bus inimicis! Sicut nullus homo potest  
amarc,

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXIX.* 135  
amare, quin habeat amorem, ita nullus homo potest esse largus, quin Tibi det se ipsum & omnia, quæ possidet.

17. Si homo, *Domine*, daret tantum thesaurum, quantus caperetur super faciem terræ, adhuc non haberet tantam largitatem in se ipso, quantam qui daret totam suam animam Tibi; quia melius donum dat, qui dat Tibi suam animam, quam quidaret totum mundum plenum auro & argento.

18. Laudetur & benedicatur, *Domine DEVS*, tua Largitas; quia, ut habeas occasionem nobis dandi, petis à nobis, ut Tibi demus: unde, quia sumus pleni cupiditate, Tibi negamus, quando à nobis petis; & quia Tu es plenus Largitate, nobis das magna & nobilia dona.

19. g. *Domine æterne, gratiose, amoroſe!*  
Cum homines reputentur largi per hoc, quod dent illis, qui ab eis petunt, quanto plus debes reputari largus per hoc, quod des illis, qui à Te petunt, & qui à Te non petunt, & maximè cum tua dona sint perdurabilia?

durabilia?

20. *Liber Domine!* Adeò est magna mea cupiditas, quòd non solùm non dem illis, qui à me non petunt, sed neque illis, qui à me petunt: igitur, quòd abiit largitas, & quare non venit ad me? & quare cupiditas me tenet adeò ligatum & non discedit à me?

21. Si homines, *Domine*, sunt largi, quando Te laudant & benedicunt, & quando dant pauperibus pro tuo amore, non sunt avari illi, qui pro tuo amore effundunt suum sanguinem, & permittunt suam animam separari à corpore per viam Martirii.

22. h. *Benigne Domine, plene dulcedine & amore!* Cúm Tu dederis tot & tam magna dona tuo subdito, quòd non possent numerari, nec posset imaginari magnitudo illorum; ideo non cessat tuus servus peteret à Te dona; quia nulla dona possent ei sufficere, nisi ultra peteret à tua Largitate.

23. Sicut homo, *Domine*, non potest agere Tibi tot gratias quot sunt dona, quæ ei

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXIX.* 137  
ei das, ita non est ullus homo, qui posset  
tantum à Te petere, quanta sunt dona, quæ  
ei das, & quæ sunt ei necessaria.

24. Quando nos, *Domine*, deficimus  
in agendo Tibi tot gratias, quot sunt dona,  
quæ das, hoc accidit, quia major est tua  
Largitas, quam sit in nobis cognitio dono-  
rum, quæ das: unde, sicut nostra cognitio  
non potest comprehendere tuam Largita-  
tem, ita non sufficit ad sciendum omnia  
dona, quæ nobis sunt necessaria.

25. i. *Gratiose Domine, cui placet omnis*  
*largitas & omnis libertas & omnis liberali-*  
*tas!* Tu dedisti mihi esse humanum, quod  
est valde nobile esse: igitur, cùm Tu mihi  
tantum dederis, quare absque ulla causa  
sum adeò avarus erga Te? & quare de-  
veni tuus inimicus?

26. Tuæ magnæ Largitati ago, *Domi-*  
*ne, gratias & laudes, quæ me adeò inamo-*  
*ravit de Te, cùm essem avarus erga Te,*  
*ut nocte & die me faciat desiderare, quo-*  
*modo possim dare totum me ipsum pro*  
*Te.*

27. Ab

27. Ab hora, quâ Tu, *Domine*, me beneficiasti amore, sum amicus & benevolus illarum rerum, quas antea odiebam & contemnebam, & deveni inimicus vanitatum, quas antea amabam & appretiabam.

28. K. *Divine Rex Glorie, plene omnibus bonis & omnibus Virtutibus!* Dona, quæ Tu, *Domine*, das, sunt perfecta, quia es perfectus in Largitate & in omnibus bonis; & dona, quæ nos damus, sunt defectuosa, quia adeò sumus res cupidæ, quòd non possemus esse cupidores.

29. Per dona, quæ Tu, *Domine*, das, demonstratur tua Largitas, & per dona, quæ nos damus adinvicem, demonstratur nostra cupiditas; quia, sicut Tu reputaris largus, quia das de tuis rebus, ita nos debemus reputari cupidi, quia damus res, quæ non sunt nostræ, nec sunt dandæ à nobis.

30. Tuus servus, *Domine*, Te laudat & Te precatur vero ore & devoto corde & lacrymosis oculis, & confidit in tua magna Largitate, quæ est sinè fine, & petit à Te

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXX. 139*  
Te dona benedictionis & gratiæ , quia talia dona debent peti à tua Largitate divina.

## CAPUT LXXX.

*QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS sit largus, quia dat hominibus  
bona temporalia.*

1. **D**ivine Rex Glorie, Dominator omnium rerum ! Laudes & honores & gratiæ fiant Tibi, qui nobilitasti hominem per magna dona , quæ ei dedisti faciendo eum dominum elementorum & vegetarium & omnium animalium irrationalium.

2. Nam ab igne, Domine, accipimus lucem, & igne calefacimus nos , & coquimus nostros cibos, & aere respiramus & refrigeramur, & aquâ lavamus & potamus nos , & terrâ collocamur in nostris habitationibus, & à vegetabilibus & animalibus sumimus vitam & servitum.

3. Adeò

3. Adeò magna est tua Largitas, *Dominus DEVS*, quòd omnium istorum bonorum dederis sufficientiam hominibus, sive sint justi sive injusti, sive veraces sive mendaces, quoniam omnibus das sufficientiam bonorum temporalium.

4. b. *O Liber Domine, plene Gratia!*  
Sicut Tu dedisti homini magna dona ratione tux Largitatis, ita homo deberet esse largus pro amore Tui & nihil deberet sibi retinere, sed omnia Tibi dare.

5. Non est, *Domine*, qui possit impedire nec auferre dona, quæ Tu das homini, quando vis illa ei dare; &, si Tu non velis homini dare, non est, qui Te possit cogere ad dandum.

6. *Laudate Domine!* Adeò magna sunt dona, quæ Tu das homini, quòd non possit æstimari nec cogitari in corde hominis, quanta sint illa dona.

7. c. *Laudate Domine, amate, magnificate, honorate!* Sicut homo avarus ratione avaritiae dat res viles & parvæ utilitatis, & retinet sibi bonas, ita Tu ratione tux

Lar-

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXX. 141*  
Largitatis das hominibus bona & utilia  
dona.

8. Sicut homo largus, *Domine*, se de-  
monstrat largiorem, quando dat meliora  
dona, & quando dat illis, qui ab eo non  
petunt; ita Tu Te demonstras largiorem,  
quando das hominibus, quia à Te non  
petunt.

9. *Vere Domine*: Illi homines sunt largi,  
qui multum dant, & qui dant plus, quàm  
ab eis petatur, & qui dant meliores res,  
quàm ab eis petantur: igitur largus es Tu,  
*Domine*, qui tantum das, & qui meliora  
dona nobis das, quàm à Te petamus; &  
quando putamus Te non dare, adhuc  
das.

10. d. *Domine amate & appretiate, Do-  
mine volite*: Illos quibus homo dat, amat  
homo secundúm dona, quæ eis dat: igi-  
tur, qui Te amant, si Te multúm amant,  
multum Tibi debent dare; &, qui parva do-  
na Tibi dant, significant, quòd Te parum  
amant.

11. Sicut largitas est proprietas, ratio-  
ne

ne cuius bonus dator non tristatur in dando, ita avaritia est proprietas, ratione cuius avarus non tristatur in petendo & accipiendo: igitur, quia Tu, *Domine*, es supremus Dator, ideo tua dona non cessant, nec nos cessamus à recipiendo & petendo.

12. Adeò largus Dator es Tu, *Domine*, quòd, in quocunque loco homo sit, ei des, & in quocunque loco à Te petat, ei des; sed non est ita de nobis, quia sumus adeò pleni avaritiâ, quòd omnia loca nobis sint contraria ad dandum.

13. e. *Invoke Domine, laudate, adorate*: Quòd plús homo Tibi dat, eò plús tua Largitas ei dat, & eò plús eum ditat, & ei multiplicat gloriam & benedictionem; &, quòd plús homo est avarus erga Te, eò plús est pauper & carens gloriâ & benedictione.

14. Sicut melior operatio, quam homo possit facere, *Domine*, est dare, ita pejor est auferre: igitur, cùm dare sit à largitate, & auferre ab avaritia, melior res,

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXX.* 143  
quæ sit in homine, est largitas, & pejor  
res est avaritia.

15. Cùm dare, *Domine*, sit res adeò  
bona, quomodo potest esse, quòd non de-  
mus, dum habemus, quid demus? & qua-  
re non damus, cùm habeamus potestatem  
dandi? & quare avari non dant pauperi-  
bus dona, quæ eis das? & quare volunt ha-  
bere ea, quæ non vis eis dare?

16. f. *Domine DEVS, qui es invocatus  
in omni tempore, & inventus in omni loco!*  
Benedicta sit tua magna Largitas; quia,  
quantumcunque multum des, adhuc Tibi  
remanet, quod des: igitur stulti sunt om-  
nes, qui propter multa dona, quæ eis das,  
cessant à Te petere.

17. Tua Largitas, *Domine*, dedit mi-  
hi multa nobilia & mirabilia dona, & mea  
cupiditas petivit à Te multa dona, quæ  
sunt vilia & transitoria & paucæ utilita-  
tis.

18. Tu, *Domine*, es mihi adeò lar-  
gus Dominus, & adeò me obligasti per  
multa dona, quæ mihi dedisti, quòd ego  
per

per meam magnam cupiditatem inde de-  
venerim ingratus & inobediens tuis man-  
datis.

19. g. *O Domine, qui es vera Sanctitas  
& vera Charitas & verus Splendor!* Licet  
ita sit, quod mihi dederis multa dona in  
hoc saeculo, parum mihi proderunt, nisi  
mihi des tuum amorem; quia omnia dona  
non possent mihi sufficere sine ipso, &  
nullus homo est adeo culpabilis, sicut ille,  
qui recipit multa dona a suo domino, &  
non habet amorem erga ipsum.

o. Cum Tu, *Domine Deus*, tantum  
amaveris me tuum servum, & mihi tan-  
tum dederis, & ego Tibi fuerim adeo ava-  
rus, quod meum esse voluerim auferre a  
tuo servitio, mihi opus est memorare tuam  
Misericordiam, & derelinquere meam mag-  
nam avaritiam.

21. Si tu, *Domine*, fuisti valde largus  
Dominus erga tuum subditum, tuus sub-  
ditus fuit erga se ipsum avarior, quam  
erga ullam aliam rem; quia major avaritia,  
quam homo potest habere erga se ipsum,  
est,

Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXX. 145  
est, quod se non det totaliter obedientiae  
tuorum mandatorum.

22. h. *Desiderate Domine, amoroſe, dulcis & ſimplex & ſuavis!* Natura largi do-  
mini est non exspectare occaſionem, ut ab  
eo petatur, nec ipſe melius dat uno tem-  
pore quam alio, immo omnia tempora ſunt  
ei æqualia ad dandum, ſecundum quod  
convenit.

23. *Glorioſe Domine!* Natura hominiſ  
avari est non velle dare in ſua vita, dum  
dona ei eſſent proficia, & expeſtat dare  
in fine ſuorum dierum, quando amplius  
non potest poffidere diuitias, & quando  
ſua dona non ſunt grata.

24. Sicut Tu, *Domine*, dediſti homi-  
ni plus, quam ipſe mereatur, ita tenere-  
tur homo Tibi dare ultra ſuam potestatem  
& ultra ſuas vires, ſi poſſet fieri, licet ab  
eo non velis, niſi id, quod potest, & ad  
quod ſe extendunt ſuæ vires.

25. i. *Supreme Domine, magne ſuper om-  
nes magnitudines, alte ſuper omnes altitu-  
dines!* Cūm Tu petas ab aliquibus diuiti-

K

bus

bus plus, quām ab aliquibus pauperibus ;  
 & petas ab aliquibus pauperibus plus, quām  
 ab aliquibus divitibus , qui bene vo-  
 lunt procedere & volunt cavere, ne eos  
 reputes avaros, nullatenus possunt hoc me-  
 liūs facere , quām dando Tibi quidquid  
 possident , quin aliquid sibi retineant.

26. Ab homine largo , *Domine* , quo-  
 niam est dives & dat libenter , melius est  
 petere , quām auferre : quare igitur homi-  
 nes pauperes auferunt ab homine divite ,  
 qui libenter dat, & non petunt ab eo , ut  
 quis det ? & quare non petunt à Te id ,  
 quod à divite auferunt.

27. Adeò largus Dominus es, *Domine* ,  
 quòd omni die nobis des & nobis commit-  
 tas & nobis commodes , & nobis plura tri-  
 buas, quām sciamus Tibi grati esse; & nos  
 sumus adeò cupidi , quòd non sufficiat no-  
 bis cor ad dandum nec ad commendandum  
 nec ad commendandum aliquid Tibi.

28. K. O *Domine sancte* , qui es *Salus* &  
*Salvatio nostra* ! Tu das nobis , quia amas  
 nos plus , quām res, quas nobis das; & nos  
 reci-

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXX.* 147  
recipimus à Te dona , quæ amamus plús,  
quàm Te, qui ea nobis das: igitur Tu de-  
bes laudari & benedici in omni, quod no-  
bis das , & nos debemus reprehendi in  
omni, quod recipimus à Te.

29. Tot sunt dona, *Domine*, quæ no-  
bis dedisti, & quotidie das, & adeò sumus  
eis onerati, quòd vix possimus portare onus,  
quod super nos posuisti, à quo nemo  
potest alleviari , nisi memorando & lau-  
dando Te.

30. Adeò largus Dator es, *Domine*, &  
adeò libenter das, quòd multoties videa-  
tur nobis Te à nobis auferre, quando no-  
bis das, & multoties nos cogas ad ac-  
cipiendum contra nostram volun-  
tatem: igitur omnes communi-  
ter simus laudatores tuæ bene-  
dictæ Largitatis, & servi tuæ  
gloriosæ Essentiaz  
divinæ.

CAPUT

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
JESVS** Christus fuerit largus de sua be-  
nedita Humanitate.

1. **O** DEVS gloriose, perdurabilis, hu-  
milis, plene gratiâ! Tua magna  
Largitas, Domine, ametur & honoretur &  
laudetur omni tempore; quia de benedicta  
Carne, quam assumpsisti, voluisti esse adeo  
largus, quod omni fami & paupertati &  
labori volueris eam tradere pro amore  
nostrî.

2. De tota tua Carne & de toto tuo  
Sanguine fuisti largus, Domine, in die mor-  
tis; quia totum tuum Corpus fuit vulnera-  
tum & flagellatum, & totus tuus Sanguis  
fuit effusus, & omnes lacrymæ tuorum  
oculorum decurrerunt per tuam faciem, &  
totum tuum Corpus tradidisti Judæis, ut  
facerent in eo, quidquid vellent.

3. Tu, Domine, fuisti largus de tua  
Humanitate omnibus nobis; quia omnes  
dies

*Vol. I. Lib. II. Di. XVII. Cap. LXXXI.* 149  
dies vitæ tuæ in hoc mundo usque ad mor-  
tem expendisti in nostram salutem & in  
nostram redemptionem , ut essemus beati  
in tua Gloria.

4. b. *O Domine digne honore ! O Domine*  
*digne servitio ! O Domine digne gratitudine !*  
*Quidquid fecisti in hoc mundo à die, quâ*  
*es natus, usque ad diem, quâ es mortuus,*  
*fecisti intuitu rerum, quæ erant necessariæ*  
*nostro bono & nostræ salvationi.*

5. Cúm Tu, *Domine* , fueris adeò lar-  
gus erga tuum populum, quòd totam tu-  
am Carnem & totum tuum Sanguinem &  
totam tuam Vitam & omnia tua Opera &  
tuam Mortem volueris ei dare, ratio esset,  
quòd totus tuus populus daret ad laudan-  
dum Te id , quod dedisti ad salvandum  
ipsum.

6. Omnes principatus & divitias hu-  
jus mundi, & omnes delectationes dedisti,  
*Domine* , pro nobis in hoc , quòd in hoc  
mundo nolueris habere principatus nec  
regna, nec volucris habere delectationes,  
nec placita , nec alia bona temporalia,  
imò

imò voluisti omnia relinquere pro amore nostri.

7. c. *Domine Ordinator & Ductor & Benefactor!* Tu scis, quòd, quando homines dant, dent usque ad certum terminum, & ultra illum non velint dare, & hoc evenit, quia largitas vel potestas eis deficit: unde benedicta sit tua Largitas, cui nescitur terminus, quia ipsa & tua Potestas sunt sine fine.

8. Sicut tua Largitas, *Domine*, est sìne termino & fine, ita vis, quòd homines sint Tibi adeò largi, quòd non ponant terminum nec finem suæ largitati, sed Tibi dent, quamdiu sufficient & possint Tibi dare.

9. Sed, quia nos sumus cupidi & culpabiles & diffidentes in tua Largitate, ideo, *Domine*, ponimus terminum illis rebus, quas Tibi damus, & non volumus Tibi dare ultra illum terminum; & totum hoc evenit nobis, quia habemus defectum amoris.

rc. d. *Domine bone, Domine virtuose, Domine*

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXXI. 151*  
*mine perfecte in omnibus temporibus! Sicut*  
*Tu fuisti nobis in hoc sæculo largus de*  
*tota tua Humanitate, ita es in Gloria lar-*  
*gus beatis de tota ipsa, ut possint recipere*  
*gloriam & benedictionem in ea.*

11. *Nam, quia tua sancta Humanitas,*  
*Domine, est unita cum tua excellenti Dei-*  
*tate, ideo omnes beati, qui sunt in gloria,*  
*poterunt glorificari in ipsa.*

12. *Cum Tu, Domine Deus, de*  
*tota tua benedicta Humanitate fueris lar-*  
*gus in hoc mundo, & de tota ipsa sis largus*  
*in altero sæculo, quis est, qui posset æsti-*  
*mare & perpendere magnam Liberalita-*  
*tem & Largitatem, quæ est in Te?*

13. e. *O Pater Patrum! O Princeps primorum!*  
*O Domine Dominorum! O Ultimus ultimu-*  
*rum! O Domine Deus! Tu es nobis lar-*  
*gus de tua Carne in hoc, quod eam nobis*  
*des, ut sit noster panis æternus, & es no-*  
*bis largus de tuo Sanguine in hoc, quod*  
*eum nobis des, ut sit aqua, de qua capia-*  
*mus vitam; & nos sumus tuis pauperibus*  
*avari de pane & de aqua materialibus.*

14. O

14. O Domine magne, amoroſe! Cūm  
 Tu ſis adeò largus de tam pretiosa re, ſi-  
 cut eſt tua Caro & tuus Sanguis, & nos: ſi-  
 muſ adeò avari de tam miſera re, ſicut eſt  
 panis & aqua, quiſ eſt, qui Te poſſet lau-  
 dare ſecundūm tuam magnam Largita-  
 tem? & quiſ eſt, qui nos poſſet reprehēn-  
 dere ſecundūm noſtrām magnam avari-  
 tiam?

15. Laudetur & benedicatur, Domine,  
 tua glorioſa Largitas, quæ fecit Te effun-  
 dere tuum Sanguinem ſupra petram, in  
 qua Crux fuit fixa, & benedictam Aquam  
 de tuo Corpore fecit decurrere ſuper ter-  
 ram; & mea avaritia cognoscatur valde  
 magna, quia non effudi aquam ex meis  
 oculis ſuper maxillas meæ faciei, & meus  
 ſudor non eſt effuſus in meas veftes per  
 bona opera.

16. f. Nominare Domine ab omnibus ho-  
 minibus, honorare ab omnibus creaturis! Ad  
 altitudinem & nobilitatem, in quam af-  
 cendit tua glorioſa Humanitas ratione  
 coniunctionis cum Deitate, non fuit uſ-  
 quam,

*Vol. II. Lib. II. Di. XVII Cap. LXXXI.* 153  
quam, nec est , nec erit ulla alia humani-  
tas, quæ possit ascendere : igitur, cùm Tu  
fueris totus largus de illa Humanitate, non  
est ulla res, quæ possit comparari tuæ mag-  
næ Largitati.

17. Benedictam Humanitatem, quam  
**Tu**, *Domine*, dedisti pro amore nostri,  
non dedisti vacuam virtutibus , nec im-  
mundam , nec plenam peccatis , imò eam  
dedisti totam plenam virtutibus sinè ulla  
culpa & sinè ullo defectu ; sed humanitas,  
quam nos Tibi damus , tota est misera &  
fragilis & deficiens virtutibus.

18. Si nos essemus largi Tibi, *Domine*,  
de nobilibus & bonis donis, non esset mi-  
rum ; sed, quod est mirum super omnia  
mirabilia, est, quòd Tibi demus viliora &  
miseriora dona, quæ habemus.

19. g. *Domine invocande, Domine memo-*  
*rande, Domine metuende!* Tuam Humani-  
tatem, quam nobis dedisti, libenter & vo-  
luntariè dedisti, & non dedisti eam coactè  
nec constrictè ; quia, nisi voluisses , Judæi  
nullatenus potuissent Tibi ullum malum  
facere.

facere.

20. *JE SV Christe Domine!* Ut Tu videreris perfectus in Largitate, voluisti dare tuum Corpus libenter & voluntariè, & voluisti illud dare cum fletibus & suspiriis & tribulationibus famis & sitis & vulnerum & mortis; & nos, quia sumus pleni cupiditate, fere omne, quod Tibi damus, damus Tibi coactè, & non damus Tibi nostrum corpus cum tot tribulationibus, cum quot nobis dedisti tuum.

21. Unde omnis ista cupiditas evenit nobis, *Domine*, quia non imus per primum motum nec per ordinatam intentionem; quoniam, si hoc faceremus, daremus Tibi omnia, quæ haberemus, & omnia possideremus.

22. h. *O Domine rogate! O Domine amate! O Domine volite!* Quando Tu dedisti tuum Corpus tuo populo, per amorem & non per timorem ipsum dedisti; & nos non volumus Tibi dare nostrum corpus nec per amorem nec per timorem.

23. Si Rex vel Princeps reputatur lar-

gus

*Vol. I. Lib. II. Dist. XVII. Cap. LXXXI.* 155  
gus inter suos Barones, *Domine*, quando eis  
dat de suo thesauro; quantò plús debes Tu  
reputari largus, qui dedisti tuo populo Te  
ipsum?

24. Maxima Largitas, quæ possit esse,  
*Domine*, est, quando Dominus vult dare  
morti suum corpus ad restaurandum suum  
populum: igitur, ut Tu posses habere i-  
tam Largitatem adeò magnam, voluisti an-  
sumere Humanitatem, & eam morti tra-  
dere pro tuo populo.

25. i. *O Domine, confortatio & consola-*  
*tio & restauratio nostra!* Benedictus sis Tu,  
qui dedisti tuam humanam Naturam ad  
redimendum tuum populum: „, unde, cùm  
„nobis tantum dederis, omnes tenemur or-  
„dinare & dirigere, quòd sint homines  
„eentes per omnes terras laudando & con-  
„fitendo istam adeò magnam Largitatem  
„tuam.

26. Cùm multæ terræ & multa loca  
sint, *Domine*, in quibus non laudatur mag-  
na Largitas, quæ est in Te per hoc, quòd  
dederis Te ipsum morti pro tuo populo,  
valde

156 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
valde debemus verecundari, quando non  
imus per omnes terras ad laudandum Te  
de tua magna Largitate.

27. „Devotè & plorando petit à Te  
„gratiam, *Domine*, tuus subditus, & Te  
„precatur, ut feligas ex hominibus Reli-  
„giosis aliquos, qui eant inter infideles ad  
laudandum Te de magna Largitate,  
quam habuisti erga tuum populum in  
„hoc, quòd volueris mori pro amore  
„nostrī.

28. K. *Memorate Domine, gloriose, per-*  
~~dixabilis~~ *omni tempore!* Maximum dam-  
nūm & maxima jactura, quæ possit esse in  
hominē, est ignorantia tuæ Nobilitatis &  
tuæ Largitatis; quia, qui ignorant Largi-  
tatem, quam fecisti de tua benedicta Hu-  
mani tate, nullam gloriam possunt conse-  
qui, imò sunt torquendi perdurabilibus  
pœnis.

29. Cūm pœna & damnum magnifi-  
centur secundūm quod est magna priva-  
tio beatitudinis, Tibi, *Domine*, qui es  
ad eo largus, quòd tantum feceris pro ho-  
minibus

minibus Religiosis, ut sint patientes & continentes & contemplati vi, placeat eis dare perfectam voluntatem, ut eant ad demontrandum infidelibus errorem, in quo sunt.

30. *O vere Domine!* Cūm infideles decurrant ad inferos sicut aqua decurrens per rupes, & iste decursus non cesset, placea Tibi citò moyere bonos homines ad eundum prædicare veram viam, ut iste decursus cesset per laudationem tux Largitatis humanæ & divinæ.

## CAPUT LXXXII.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS** sit largus ratione magnorum donorum, quæ dat in Paradiso.

I. **O DEVIS** large omnibus benedictionibus & omnibus gloriis & omnibus virtutibus! Sanctitas & Gloria & Virtus sint tuæ magnæ Largitati, Domine; quia, sicut oportet ipsam dare infinita dona in gloria,

158      **B. Raym. Lulli Lib. Contempl.**  
gloria, ita oportet ipsam esse sinè fine.  
2.      Cúm dona, quæ Tu, *Domine*, das  
in gloria, debeant esse perfecta sinè ullo  
defectu, convenit Datorem esse perfectum  
sinè ullo defectu.

3.      Dona, quæ Tu, *Domine DEVS*,  
das in Paradiso, sunt nobiliora, quàm ho-  
mines mereantur; quia sunt dona infinita,  
& homines, qui ea recipiunt, sunt finiti  
& terminati in suo *esse* & in operibus, quæ  
fecerunt.

4. b.      *O Domine DEVS, qui dedisti prin-  
cipium creaturis, & ordinasti omne quod est!*  
Adeò magna sunt dona, quæ das in gloria,  
quòd cor hominis non posset ea cogitare,  
nec ora possent ea narrare, nec oculi suffi-  
cient ad videndum, nec aures ad audi-  
endum quàm magna sint; quia omnia ista  
membra sunt res finitæ, & beata dona, quæ  
das, sunt sinè ullo fine.

5.      Minus donum, quòd Tu, *Domine*,  
das in gloria, est multò majus, quàm om-  
nia dona, quæ dantur in hoc mundo: igi-  
tur, cùm Tu sis valde largus Dominus ra-  
tione

*V. I. Li. II. Di. XVII. Cap. LXXXII.* 159  
tione donorum, quæ das in hoc mundo, quantò largior es ratione donorum, quæ das in gloria?

6. *Domine DEVS!* Omnibus modis, quibus demonstras in paradyso tuam Bonitatem & Nobilitatem, demonstratur tua Largitas; quia, in quantum videris & sciris bonus & nobilis, in tantum es largus beatis in gloria.

7. c. *Domine DEVS, qui defendis tuos servos ab omnibus malis!* Dona, quæ das hominibus in hoc mundo, non possunt ab eis recipi ita perfectè, sicut Tu ea illis das; & hoc est, quia homo non est dignus recipere donum perfectum in hoc mundo; sed in altero sæculo non erit ita, quia homo, qui erit in gloria, erit per gratiam adeò perfectus & completus, quòd poterit à Te recipere donum perfectum & completum.

8. Diversitas & divisio, quæ sunt in donis, quæ Tu, *Domine*, das in hoc mundo, totaliter eveniunt à fragilitate & miseria hominum: quia, sicut homines habent

bent multos & diversos defectus, ita neceſſe est Te eis dare multa & diversa dona, quibus se possint juvare in suis defectibus, sed in altero sæculo non est ita; nam, quia homines in paradiſo non habebunt ullum defectum, ſufficiet eis unum donum gratiæ, hoc eſt una gloria perfecta.

9. Cūm Tu, *Domine*, ſis justus Dator, convenit Te in gloria aliis dare maiorem gloriam, & aliis minorem; fed, quia es perfectus Dator, & convenit beatos in gloria à Te recipere perfectum donum, oportet, quod omnes reputent donum, quod recipiunt, perfectum ſinè ullo defectu, ut quilibet sit ſatisfactus de gloria, quam ei das.

10. d. *Singularis Domine, vere, amoroſe, fons & illuminatio omnis boni!* Sicut Tibi proprium eſt eſſe largum & liberalem & totum bonum; ita gloriæ, quam das justis in paradiſo, eſt proprium eſſe eis naturalem; quia cuilibet naturalem facis gloriam & beatitudinem perpetuam, quamprimum ſunt in paradiſo ita, quod naturale ſit eis per

*V. I. Li. II. Di. XVII. Cap. LXXXII.* 161  
per gratiam glorificari in Te.

11. Dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, non sunt accidentalia, nec sunt dona, quæ sint in uno tempore & non in alio, nec sunt majora in una hora, quam in alia; quia, si talia essent, non essent dona, quæ haberent perfectionem; & si non essent perfecta dona, sequeretur, quod Tu non es perfectus Dator.

12. Dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, non descendunt, nec derivantur à re habente materiam & formam, sicut dona, quæ das in hoc mundo; immo omnia illa dona descendunt à Te, & omnia sunt in Te, quia Te totum das justis, ut glorificentur in Te.

13. e. *Ductor Domine, Adjutor orphorum & tribulatorum & omnium illorum, qui in Te confidunt!* Sicut pluviæ potant & satiant terras sitientes, ita tua dona in gloria satiabunt justos in hoc, quod præsentia tuæ Humanitatis & tuæ Deitatis tenebit eos totaliter satiatos & plenos gloriæ.

14. *Gloriose Domine!* Sicut bona terra,  
L quæ

quæ est bene temperata pluviis, profert flores, folia & fructus multis modis; ita beati paradisi, quando recipiunt in gloria dona à Te, profluunt dando dulces voces & dulces laudes de Te, & cantant dicendo: Gloria & Laus sit nostro Domino Deo semper.

15. *O Domine!* Quàm beati sunt illi, qui tua dona possident in gloria sinè fine, & quàm maledicti sunt illi, qui tuis donis sunt privati in altero sæculo sinè fine! Quia, cùm Tu sis adeò largus, satis possunt reputare se infelices omnes, qui in altero sæculo non sentiunt tuam magnam Largitatem.

16. f. *O Domine, fortis super omnes potestates!* *O Domine, magne super omnes magnitudines!* Adeò magna est tua Largitas, quòd, ut habeas occasionem dandi hominibus justis, ordinaveris, quòd ipsi eant in sua operatione per primum motum, & in hoc, quod faciunt, habeant rectam & veram intentionem.

17. Omnia bona, quæ voluisti creare,  
*Domine,*

*Domine, creasti ut ea dares, & non ut au-  
ferres: unde, cùm Tu velis ea dare, tuus  
servus petit à Te gratiam, ut ex ipsis ei  
des.*

18. *Bona, quæ Tu, Domine, das in glo-  
ria, non peto à Te, ut mihi des per hoc,  
quòd ea merear, nec ut ea possideam, sed  
quia ea creasti ad dandum: unde, quo-  
niam ea vis dare, precor Te, ut ex eis mi-  
hi des.*

19. g. *Domine DEVS, qui custodis &  
defendis omnes illos, qui in Te confidunt! Si-  
cut Rex, qui est liberalis & fervidus in ex-  
pendendo, facit aperire portas sui palatii,  
quoties comedit, ut intrent ad comeden-  
du m, qui velint comedere; ita Tu aperuisti  
tuas carnes & tuas pulpas, quando Te per-  
misisti vulnerari; & totum hoc fecisti, ut  
portæ paradisi aperirentur, & in eas intra-  
rent, qui vellent.*

20. *Tua benedicta Largitas, Domine  
DEVS, laudetur & honoretur; quia om-  
nis homo intrans in paradisum intrat in  
cum ratione ipsius; & omnis homo intrans  
in*

in infernum intrat in eum ratione suæmet cupiditatis.

21. *O Domine!* Quot peccata & culpas remittit & condonat hominibus tua gloriofa Largitas, ut, quando transeunt ex hac vita in alteram, perveniant in tuam gloriam & in tuam benedictionem, in qua possideant tua benedicta dona?

22. h. *O Domine DEVS,* qui remittis culpas & iniurias & omnia peccata! In paradiſo non est, qui sit largus, nisi Tu; quoniam non est ibi, qui det, nisi Tu; quia nemo est dignus dare dona paradiſi, nisi Tu; cùm oporteat illa dona esse perfecta, & dona perfecta non possint dari, nisi à Te.

23. Unde, quia in paradiſo, *Domine*, nemo dat, nisi Tu tantum, illi, qui dona recipiunt, recipiunt ea perfecta; &, si ab alio ea reciperent, non possent esse perfecta, quoniam, qui ea darent, non haberent omnem perfectionem.

24. Sicut dona, quæ Tu, *Domine*, das in gloria, nobilitantur & exaltantur per hoc,

Hoc, quòd Tu ea des; ita beati, qui illa dona recipiunt, nobilitantur & exaltantur per hoc, quòd ea recipient à Te.

25. i. *Domine DEVS, qui resuscitas mortuos, & judicas justos & peccatores : Ut Tu posses ordinatè dare dona gloriæ, voluisti habere famem & sitim & tribulationem & mortem.*

26. *O Domine DEVS ! Quàm magnus defectus & magnus error fuit meus retroacto tempore ? quia , dum me invitabas ad gloriam paradisi , ego eram Tibi molestus petendo à Te quotidie bona temporalia, quæ nihil valent.*

27. *O Domine DEVS ! Cúm in hoc mundo aliqua dona videantur magna & nobilia, quantò plús dona gloriæ videntur magna & nobilia in gloria ? Plús durat possessio donorum hujus mundi in illis, qui dona recipiunt , quàm gratiæ, quas agunt illis, qui ea dant; sed non est ita in paradi- so, quia tantum durant gratiæ, quas homo Tibi agit , quantum possessio donorum, quæ das.*

28. K. *O Domine DEVS, qui sustines cælum*

166 B. Raym. *Lulli Lib. Contempl.*  
*cælum & terram & omnia creata & facta!*  
Ratione tuæ magnæ Largitatis est conve-  
niens Tibi invitare nos ad cœlestem glo-  
riam, & eam nobis dare; & ratione meæ  
necessitatis est conveniens & necessarium  
mihi petere à Te dona gloriæ, & confidere  
in Te, ut ea mihi des.

29. Sicut est de tua proprietate & na-  
tura, *Domine*, dare bona gloriæ, ita est de  
mea proprietate & natura auferre à paupe-  
ribus in hoc mundo bona, quæ Tu eis das:  
unde, cùm tua Natura, *Domine*, sit supre-  
ma Largitas & suprema Bonitas, & mea  
natura sit mala & fragilis, peto à Te gra-  
tiam, ut opereris in me secundum proprie-  
tatem tuæ naturæ, & non permittas me  
operari in pauperibus secundum proprieta-  
tem meæ malæ naturæ.

30. Animosè & devotè & lætanter Te  
adorat & laudat & benedicit tuus servus,  
*Domine DEVS*, & agit Tibi multas gra-  
tias, quia ei dedisti gratiam ad ducendum  
ad perfectionem istam Distinctionem, &  
confidit in tuo Adjutorio perficere omnes  
alias, quæ tractant de Nobilitate divina.

# DISTINC. XVIII.

DE ADJUTORIO, QVOD NOSTER Dominus DEVS facit hominibus.

## CAPUT LXXXIII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS adjuvet omnes illos, qui pro  
eius amore laborant.

I.  
a.



Ivine Domine! Gloria  
& laus & benedictio  
cognoscantur tuæ mag-  
næ Bonitati, quæ ad-  
juvat & succurrit om-  
nibus, qui pro amore

Tui laborant in hoc

sæculo, dando eis gratiam incedendi per  
primum motum, in quo sunt victores om-  
nium incedientium per secundum mo-  
tum.

2. Omnes pro tuo amore laborantes  
vis,

vis, *Domine*, juvare, ut babeant ordinatam intentionem in amando Te & serviendo Tibi; quia primâ intentione serviunt Tibi & amant Te, & secundâ sperant gloriari in tua Gloria.

3. Cúm Tu, *Domine*, adjuves beatos, qui pro amore Tui sustinent tormenta & labores, omnes, qui sunt eis contrarii, incedunt per secundum motum, & habent inordinatam intentionem, & ideo vincuntur; quia, qui incedit per primum motum & per ordinatam intentionem, convenit, quòd vadat per opera virtutum, & in eis stet.

4. b. *Ordinator Domine, Pater universorum, quæ sunt, abundans omnibus bonis!*  
 Cúm scientia hominis sit terminata, & omnes vires ipsius sint intrà certum terminum, quando homines, qui ad laudandum & honorandum Te & ad serviendum Tibi laborant & affliguntur, indigent sapientiâ & potestate & voluntate, quæ sit ultra terminum, in quo sunt terminati, Tu eos adjuvas, & eis succurris, & facis sapientiam & for-

*V. I. L. II. D. XVIII. Cap. LXXXIII.* 169  
fortitudinem & voluntatem ipsorum trans-  
cendere suos terminos.

5. Quando homines injuriosi, infide-  
les, peccatores disputant & pugnant cum  
beatissimis, qui sanctam Fidem propugnant,  
ideo, *Domine*, vincuntur, quia non habent,  
qui suam scientiam & voluntatem & po-  
testatem faciat transcendere terminum, in  
quo sunt terminatae, cùm non habeant ad-  
jutorium aliarum virium, quæ sint extra  
terminum ipsarum, sicut habent beati,  
quos adjuvas ultra terminum, in quo suæ  
vires sunt terminatae.

6. Quia Tu, *Domine*, adjuvas illos,  
qui Te amant, & sunt in veritate, prop-  
terea superant illos, quos non adjuvas;  
nam, quando indigent majori sapientiâ &  
voluntate & potestate, quàm habeant, Tu  
eis das tantam, quantâ indigent; & illi,  
qui sunt in falsitate, non possunt habere  
plus, quàm natura eis det, quia non habent  
adjutorem, à quo eis veniat.

7. c. *Cælestis Domine, Creator & Redemp-*  
*tor noster:* Illi, qui se tradunt morti amo-

re

re prædicandi tuam Nobilitatem & tuam Veritatem & tuam Passionem , inspirantur , quando indigent rationibus & probatioribus ; quia Tu eos illuminas, & diriges in eo, quod dicunt , & in omni, quod faciunt, custodis eos ab errore.

8. Si hæretici & infideles, *Domine*, torquent beatos fideles fame & ignominiis & laboribus & tormentis, Tu eos adjuvas patientiâ & rationibus & amore & devotione, & eos fortificas taliter, quòd sua anima non possit superari nec vinci.

9. Imò quæcunque tormenta, *Domine*, eis dentur, sunt eis placita & jucunda , & ea recipiunt in pace, & habent majus placitum in sustinendo ipsa , quam si nihil sustinerent ; & ita, quando maledicti, qui eos torquent, putant vincere, vincuntur.

10. d. *O vere DEVS juste, qui distinguis & separas bonos à malis, & ponis bonos in tua benedicta presentia!* Quando homines, qui pro Te laborant , incipiunt vinci ab illis, qui eos torquent , statim recurruunt ad tuum Adjutorium, & Tu, *Domine*,

con-

*V. I. L. II. Di. XVIII. Cap. LXXXIII.* 171  
confortas eos, & facis eos contemnere omnia bona hujus mundi, & inamoras eos gloriâ alterius sæculi.

11. Beati sunt, *Domine*, omnes, qui quando superantur & vincuntur, statim recurrunt ad tuum Adjutorium; quia, quamprimum ad Te clamant, & à Te petunt Adjutorium, statim eis succurris, & eos adjuvas.

12. Mirabiliter, *Domine*, est valde magnum & gloriosum tuum Adjutorium, quia, in quocunque tempore homo illud petat, ei das; & in quocunque loco homo sit, invenit illud, quando illud à Te petit; & ex omnibus tribulationibus & angustiis & periculis eripitur & liberatur per illud.

13. e. *Patiens Domine, amoroſe, virtuoſe, humiliſis, dulcis & ſuavis!* Cúm tuum Adjutorium ſit refugium & ſpes beatorum, qui in eo confidunt, tuus ſervus & tuus ſubditus confidit in illo, & Te precatur, ut cum adjuves in *iſto Opere*, quod eſt *Ars & Modus laudandi & amandi & colendi & benedici*

*cendi Te & serviendi Tibi.*

14. Sinè tuo Adjutorio, *Domine*, ego non possum hoc Opus & hanc Artem Contemplationis perducere ad perfectionem; imò, nisi me adjuves, peribo in eo ratione suæ altitudinis & magnitudinis, & ipsum peribit in me ratione meæ fragilitatis & miseriæ & meæ parvæ scientiæ.

25. Unde, ne istud magnum Opus pereat in mea parvitate & miseria, placeat Tibi, *Domine*, me juvare; quia malum esset, si adeò benedictum Opus periret propter tam vilem hominem, sicut ego sum; &, quoniam ego tantum labore in eo, placeat Tibi me juvare, ut remunerentur mei labores, & bene recipiatur mea bona intentio.

16. f. O JESV Christe *Domine*, qui recreasti humanum genus tuo pretioso Sangui-  
ne! Cúm Tu sis adeò paratus ad adjuvan-  
dum fideles Christianos, qui pro amore Tui laborant, quomodo potest esse, quòd ullus Christianus habeat timorem prædi-  
candi sanctam Fidem inter infideles prop-  
ter

*V. I. L. II. Di. XVIII. Cap. LXXXIII* 173  
ter minas tormentorum, quæ ei fiunt, quo-  
niam Tu es ex sua parte?

17. Cúm Tu, *Domine*, sis adjutorium  
beatorum, qui pro Te laborant, & Ange-  
li & Sancti paradisi eos adjuvent, quare  
fideles Christiani timent infideles, qui non  
habent adjutorium nisi à dæmone tan-  
tum?

18. De magnis mirabilibus, quæ pos-  
sint esse, *Domine*, est, quòd homo Catho-  
licus paveat in disputatione infidelem;  
quia sicut Tu errorem & falsitatem dæmo-  
nis ejecisti è tota Gloria, in qua nunquam  
erit, ita est Tibi facile confundere & de-  
truere errorem & falsam opinionem infi-  
delium veritate, quam posuisti in Catho-  
licis.

19. g. *Domine fortis super omnes fortitu-  
dines, magne super omnes magnitudines!*  
Quare Christianus religiosus pavet infide-  
libus prædicare tuam Trinitatem & tuam  
Incarnationem & Passionem? & quare non  
confidit in tuo Adjutorio, quod non est  
procul ab eis, qui Te laudant & veritatem  
præ-

prædicant?

20. Ratio, quare Christiani, *Domine*, dubitant prædicare veritatem tuæ Trinitatis & tuæ Incarnationis inter infideles, est, quia non perfectè confidunt in tuo Adjutorio & in tua Fortitudine, quæ potest adjuvare in omnibus modis laborum & tormentorum, qui possint esse.

21. Nam, si fideles, *Domine*, perfectè considerent in tuo Adjutorio, nullas res dubitarent dicere de Te, quoniam intellicherent sua verba esse Tibi placentia & amabilia.

22. h. O *Domine Deus*, qui amas omnes, qui Te amant, & qui accedis ad omnes, qui ad Te accedunt! Quando evenit, quòd beati fideles, qui ex omni sua mente & ex omnibus suis viribus & ex omni sua voluntate Te amant & honorant & Tibi serviunt, videant sibi deficere potestatem ad serviendum Tibi, confidunt in tuis viribus, quòd eos adjuvent in rebus, in quibus suæ vires non possunt sufficere.

23. Homines, qui non perfectè confidunt

*Vo. I. Li. II. Di. XVIII. Cap. LXXXIII.* 175  
fidunt in tuo Adjutorio , *Domine* , quando  
volunt facere pro amore Tui aliquam rem,  
si videant sibi deficere potestatem vel sci-  
entiam sufficientem ad complendum illam  
rem, statim desperant & desistunt & retro-  
cedunt à suo proposito, quia non confidunt  
in alia scientia nec in alia potestate, nisi  
in sua.

24. *Gloria & benedictio sint, Domine,*  
omnibus illis , qui in tuo Adjutorio confi-  
dunt quotiescumque sua potestas eis defi-  
cit; nam, quia in Te confidunt , incipiunt  
multa bona facta , quæ adducunt ad per-  
fectionem ratione tui Adjutorii: igitur ma-  
ledicti, qui in tuo Adjutorio non confidunt,  
se possunt reputare multum infelices, quia  
multa bona facta dubitant incipere & mul-  
ta incepta relinquunt , quæ venirent ad  
perfectionem , si in tuo Adjutorio confide-  
rent.

25. i. *O Domine DEVS plene dulcedi-  
ne & benedictione & placito ! Gloria &*  
honor dentur Tibi semper & omni, quod  
tuum est; quia Tu nobis dedisti signum, in  
quo

176 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
quo nobis demonstras tuum Adjutorium,  
quod est figura sanctæ Crucis, in qua tua  
figura stat brachiis extensis ad demonstran-  
dum Te esse paratum ad amplectendum  
& adjuvandum omnes, qui pro Te pug-  
nabunt, & qui pro amore Tui morien-  
tur.

26. Nam, sicut Crux nobis demons-  
trat, quòd Tu, *Domine*, nos adjuves &  
liberes à servitute dæmonis, in quam ce-  
cidimus in nostro patre Adamo, ita de-  
monstrat tuum Adjutorium omnibus, qui  
ad Te honorandum & Tibi serviendum  
volent mori.

27. Nam illud adjutorium, quod tua  
Crux, *Domine*, nobis representat, & quod  
nobis fecisti, quando in ea es mortuus, no-  
bis significatur per ipsam, quotiescumque  
pro amore Tui habeamus aliquam passio-  
nem vel laborem.

28. K. *Domine misericors, pie, volunta-*  
*rie in omnibus bonis!* Tu adjuvisti tuum po-  
pulum tuo Sanguine & tuâ Carne & tuis  
Lacrymis, quando pro amore nostri fuisti  
cru-

29. „Cúm Tu, *Domine DEVS*, ta-  
„liter adjuveris tuum populum, quomodo  
„potest esse, quòd Christiani similiter non  
„adjuvent miseros infideles, qui per de-  
„fectum adjutorii eunt in ignem perdu-  
„rabilem?

30. Tuus captivus, *Domine*, filius tux  
ancillæ petit à Te gratiam ante tuum Alta-  
re, ut inamores homines adinvicem ad  
hoc, ut adinvicem nos juvemus ad pos-  
sendum in tuo servitio hábere Adjutorium  
à tua benedicta Essentia divina.

## CAPUT LXXXIV.

*QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS adjuvet homines libenter facien-  
tes eleemosynam pro amore sui.*

i. a. **O** *DEVS gloriose, potens, virtuose:*  
Gloria & honor fiant Tibi & om-  
ni, quod tuum est, quia adjuvas homines,  
qui pro tuo amore dant miseris & paupe-  
ribus,

M

ribus, ut possint vivere de istis bonis temporalibus.

2. Bona, quæ habent divites, *Domine*, sunt adeò placentia ad possidendum, & adeò difficultia ad separandum à corde ipsorum, quòd, nisi Tu eos adjuvares, non possent de eis pauperibus dare, nec eis succurrere.

3. Sed, quia Tu, *Domine*, adjuvas homines divites, ut faciant eleemosynam, propterea dant pauperibus de suis divitiis, & eos hospitantur in suis domibus & de eis curant in infirmitatibus ipsorum.

4. b. *Domine large, Domine liber, Domine nobilis!* Postquam excitasti hominem divitem ad faciendum eleemosynam de omni, quod habet, ita, quòd nihil ei remanserit, cum adjuvas ad habendum voluntatem plus dandi, si plus haberet.

5. Quando accidit, *Domine*, quòd homo, qui fecit eleemosynam pauperibus de omnibus suis bonis, inde devenerit in statum paupertatis, Tu eum adjuvas & ei succurris, & das iūficiētiām panis & vini

vini & pannorum & omnium aliarum rerum.

6. Nam tunc ei das, *Domine*, fructus terræ, & modum & sapientiam, ut sciat congregare & perquirere divitias, quibus possit vivere & adjuvare pauperes.

7. c. *Hamilis Domine, virtuose, patiens, pie!* Illi, qui pro amore Tui ædificant ecclesias, in quibus celebreris, & qui ædificant hospitalia, in quibus pauperes hospitentur, & qui faciunt pontes & aquæductus & complanant malas vias, ut pauperes possint per eas transire, quando evenit, quòd sua potestas non possit sufficere, Tu das eis sufficientiam, & eos adjuvas, quo usque sua opera veniant ad perfectionem, quam desiderant pro tuo amore.

8. *Amoroſe Domine!* Multi homines incipiunt ecclesiam vel pontem vel hospitale cum parva potestate, quia confidunt in tuo Adjutorio, & Tu eos adjuvas, ut, quando sua potestas deficit, tua sufficiat instantum, quòd veniat ad perfectionem omne, quod pro amore Tui incipiunt.

9. Tale

9. Tale Adjutorium, *Domine*, quale est tuum, debet laudari & amari & desiderari, quod omnibus rebus succurrit, & omnes res perficit, & omnibus, qui in eo confidunt, dat gloriam & benedictionem omni tempore.

10. d. *O Domine, qui liberas hominem ab angustiis & a laboribus, & eum perducis ad perdurablem requiem!* Sicut homines, qui habent misericordiam erga pauperes, dant eis eleemosynas, & eos adjuvant, ut possint vivere in hoc sæculo, ita Tu adjuvas eos, qui faciunt eleemosynas, ut possint intrare in altero sæculo in veram vitam.

11. Valde benedictum & gloriosum est, *Domine*, Adjutorium, quod Tu præbes hominibus, qui pro amore Tui adjuvant pauperes ; quia bonis temporalibus, quæ nihil valent respectu cœlestium, sciunt lucrari perdurablem gloriam & benedictionem.

12. Beati sunt, *Domine*, omnes, qui faciunt eleemosynam de suis bonis pro amore Tui, qui eam faciunt per hoc, quod Tu

Tu eos adjuves; &, qui à Te habet Adjutorium , potest se reputare valde felicem, sed multò beatores sunt , qui infidelibus faciunt eleemosynam de se ipsis , & sunt Martyres ratione prædicationis veræ viæ; quia isti recipiunt à Te majus Adjutorium.

13. e. *Domine DEVS, qui custodis & defendis fideles Christianos á via erroris, & errantes diriges in viam veritatis!* Quando homines divites faciunt eleemosynas de rebus, quibus non indigent, & quæ eis superfluunt ad mensam, non est sua eleemosyna adeò magna, sicut ipsi putant.

14. Sed , quando homines , *Domine*, faciunt eleemosynas de rebus, quæ sunt eis necessariæ , & quæ eis causant tantam indigentiam, quòd inde patientur famem & sitim & nuditatem & frigus, tunc suæ eleemosynæ sunt magnæ , & Tibi placent , quoties eas dent.

15. Nam , qui dat id , quo indiget, *Domine*, certum est, quòd idem daret , si non indigeret; &, qui dat id, quo non indiget,

diget, non est certum, quòd daret, si indigeret: quare homines divites non faciunt magnas eleemosynas, quoties putant eas facere, quoniam per eas non sentiunt ullum laborem: igitur multò majores sunt eleemosynæ pauperum, quia per eas sentiunt indigentiam.

16. f. *O Pater cœlestis, vere, juste!* Infirmitatem & gravem mortem, in quam humanum genus cecidit per peccatum Adami, voluisti, *Domine*, adjuvare eleemosynâ, quam nobis fecisti de tua benedicta Humanitate, quando pro amore restorationis tui populi voluisti sustinere graves labores & angustiosam passionem.

17. Cúm Adjutorium, quod Tu, *Domine*, fecisti huinano generi in tempore necessitatis, fuerit tuo populo adeò necessarium, in hoc maledicti divites, qui in tempore caritatis congregant divitias, & eas non distribuunt pauperibus, non sunt Tibi similes; quia Tu voluisti effundere tuum Sanguinem, ut tuus populus haberet perdurablem vitam.

18. Illi

18. Illi sunt beati, *Domine*, qui in tempore caritatis aperiunt sua granaria & suas arcas & suas portas, & invitant pauperes in suas domos; quia plūs confidunt in tua gratia, quām in divitiis hujus mundi.

19. g. Placidè & devotè & verā intentione debet omnis homo lætari in Te, *Domine Deus*, qui das majorem vim & virtutem uni eleemosynæ, quām alteri; quia plus prodest pauperi, si det parvum frustum panis cum devotione & contritione alteri pauperi, quām diviti, si det pauperi panem & vinum & carnem vanā gloriā & falsā intentione.

20. Unde benedictus sis, *Domine Deus*; quia virtus eleemosynæ non defumitur à quantitate, sed à bona intentione, propter quam homo eam dat: unde illi, qui dant magnas eleemosynas, si velint, quòd suæ eleemosynæ sibi proficiant, dent eas libenter & verā intentione, ut illis, qui eas recipiunt, proficiant, & qui eas dant, eas non perdant.

21. Et, qui non habent potestatem  
dandi

dandi magnas eleemosynas, *Domine*, si ve-  
llint magnificare suam eleemosynam, & fa-  
cere eam sibi proficuam , magnificent ip-  
sam verâ intentione, & dent eam cum la-  
crymis & devotione & contritione ; quia  
talibus operibus crescit & multiplicatur  
eleemosyna.

22. h. Libenter & devotè, *Domine DE-  
VS*, & sufficientiâ fletuum & lacrymarum  
debemus Tibi omnes agere gratias pro  
magno Adjutorio, quod nobis das ad faci-  
endum eleemosynas , quas facimus; &, si-  
cut ego sum per naturam avarus, & nescio  
seligere eleemosynas, quæ pauperibus sunt  
meliores ad recipiendum & mihi ad dan-  
dum, ita precor Te, ut me adjuves ad eli-  
gendum eleemosynas, quas debeo dare.

23. Etiam peto à Te gratiam, *Domine*,  
ut me adjuves ad seligendum pauperes,  
quibus est melius dare eleemosynas ; quia  
multò melius est dare illi , qui Tibi agit  
gratias pro eleemosyna, quæ ei datur, quam  
illi, qui nec Tibi nec danti eleemosyam  
agit gratias.

24. Tuus

24. Tuus servus, Domine *DEVS*, & tuus benevolus Te precatur & petit, ut eum adjuves ad obliviscendum omnes eleemosynas, quas fecit tempore præterito, ne inde habeat vanam gloriam, & Te precatur, ut eum facias percipere & intelligere eleemosynas, quas debet facere in tempore præsenti & in futuro.

25. i. Domine *DEVS*, qui gratanter acceptas quidquid homo dat pauperibus pro tuo amore! Tu adjuvas & succurris, ut habeant gloriam & beatitudinem omnes, qui pro amore Tui faciunt eleemosynam; quia ipsa est proficia pauperibus in hoc, quod se cum ea adjuvent in hoc mundo; & est proficia danti eam in hoc, quod sua anima per ipsam dirigatur ad eundum in cœlestem gloriam.

26. Omnes illi sunt maledicti, Domine, qui res, quas pauperes ab eis petunt pro tuo amore, amant plūs, quam Dominum, propter quem illæ res petuntur.

27. Unde, quia illi plūs amant divitias,

tias, quæ ab eis petuntur, quàm Te, *Dōmine*, qui illas eis dedisti; propterea remanent pauperes mortui præ fame & siti & frigore, & foris stant ante portam divitum ad pluviam & ventum & solem, & non inveniunt, qui eis aperiat, & in domum eos introducat; & si pauperes sint importuni in petendo eleemosynam, statim fiunt eis minæ & repelluntur & inhonorantur.

28. K. *Domine pie, Domine misericors,  
Domine sapiens!* Perversus dives in tem-  
pore caritatis plús confidit in adjutorio  
horrei frumenti, quàm in tuo: est igitur  
mirum simile huic, quòd homo plús con-  
fidat in tam misera re, quàm in Te, qui es  
Dominus tot rerum , & qui es adeò nobi-  
lis per tot res?

29. Maledicti sunt, *Domine*, qui in tempore caritatis non dant pauperibus de suis divitiis, quia faciunt pauperes desperare de divitiis, quas eis reposuisti pro tempore necessitatis.

30. Humiliter & devotè peto à Te  
gratiam,

*V. I. Li. II. Di. XVIII. Cap. LXXXV.* 187  
gratiam, *Domine DEVS*, ut, antequam  
ego faciam desperare pauperes de divitiis,  
quas mihi commisisti ad custodiendum  
pro pauperibus, eas recipias & committas  
alteri, qui eas pauperibus distribuat; & pla-  
ceat Tibi, quòd ego sim unus illorum pau-  
perum, qui, quando non inveniunt, qui  
eis det, semper confidunt in Adjutorio  
sui Domini DEI.

## CAPUT LXXXV.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS**  
*DEVS adjuvet homines justos à suis  
mortalibus inimicis.*

1. **O** *DEVS magne, fortis, Principium*  
*& Finis omnium rerum, quæ fuerunt*  
*& sunt & erunt! Tu, Domine, es refugium*  
*omnibus illis, qui à suis inimicis in justè*  
*& malè tractantur; quia à nulla alia re ni-*  
*si à Te possunt habere adjutorium.*

2. Quando fideles Christiani, *Domine*, pugnant pro exaltatione sanctæ Fidei

Ro-

Romanæ, Tu non derelinquis nec deseris eos; quoniam pro amore Tui pugnant, imò eos adjuvas taliter, quòd hæretici & infideles vincatur & superentur.

3. Nam beati sunt vestiti & muniti patientiâ & legalitate & amore & veritate; & propterea, *Domine*, sua verba, quando sanctam Fidem prædicant, scindunt & frangunt & destruunt omnia, quæ veritati sunt contraria.

4. b. *Domine alte super omnes exaltationes, Domine nobilis super omnes nobilitates!* In pugna multoties evenit, quòd per unum bonum equitem lucretur & vincatur plús, quàm per omnes alios: igitur beati, qui pro amore Tui pugnant, non timeant suos inimicos; quia Tu solus, qui es cum eis, potes eos adjuvare taliter, quòd semper sint victores.

5. Sicut navis vel magnum lignum, *Domine*, quando trahitur ab hominibus, oportet, quòd omnes homines trahentes insimul concordent suas vires, quia aliter non possent ipsum trahere; ita si vires illorum,  
qui

qui pro Te disputant & pro Te pugnant, concordent & convenient cum tuis, semper vincent; si autem non ita sit, non adjuvabuntur à Te, &, dum non habeant tuum Adjutorium, semper vincentur.

6. Non est ullus leo quantumcunque ferox & iratus, quem decem homines non vincerent & occiderent, si bene se invicem adjuvarent: igitur, cùm Tu, *Domi-ne*, adjuves beatum Christianum, qui pro Te disputat ante suos inimicos, quomodo potest pavere minas & iram, quam videt in discredentibus, dum cogitat Te esse ex sua parte?

7. c. *Virtuose Domine super omnem virtutem, amoroſe, plene omni benedictione!* Mei inimici sunt mei quinque sensus corporales, qui nocte & die me oppugnant & me vincunt: unde, cùm sim victus & superatus ab eis, peto à Te gratiam, ne me deseras, imò me adjuves taliter, quod me non vincant, sed à me vincantur.

8. *Domine D E V S!* Inimici, quò propinquiores sunt homini, eò sunt ei damnosiores:

nosiōres: igitur, cūm divitiæ, quas possidemus, sint nostri mortales inimici, & nobis sint valde propinquæ, placeat Tibi nos amovere ab eis, & nos juvare taliter, quòd non amemus eas in nostro corde, ut nostrum cor sit procul à suis mortalibus inimicis.

9. Inimici, in quibus homo confidit, & quos amat, *Domine*, possunt plús ei nocere & faciliúis eum decipere, quàm illi, in quibus non confidit & quos odit: igitur, cūm nostri inimici sint nostri filii & nostræ uxores, & nos confidamus in eis, & eos valde amemus, peto à Te gratiam, ut nos defendas ab eis taliter, quòd non vincant, nec decipient nos.

10. d. *Domine large, a quo desumitur omnis virtus!* Te adoro & laudo & benedico ex omnibus meis viribus, & reprehendo illos, qui sunt in via veritatis & justitiæ, si timeant vinci & superari ab euntibus extra veram viam, & ab operantibus injustè & sine ratione: unde, qui tales homines timent, quomodo non cogitant

*V. I. Li. II. Di. XVIII. Cap. LXXXV.* 191  
tant Te posse eos delere vel occidere vel  
infirmare vel dirigere in viam veritatis?  
In veritate omnis iste timor venit & de-  
cendit à defectu confidentiæ in tuo Ad-  
jutorio.

11. Est ne in toto mundo, *Domine*,  
adeò magnum mirum, sicut istud, quod  
homo plús timeat suum inimicum, quam  
confidat in tua Bonitate & Virtute & in  
tuo Adjutorio? quomodo non cogitat Tibi  
esse magis possibile cum adjuvare ratione  
confidentiæ, quam habeat in Te, quam  
sit possibile suo inimico nocere ei?

12. Valde possunt reputari miseri, *Do-  
mine*, omnes, qui plús pavent iram suo-  
rum inimicorum, quam confidant in tua  
bona Voluntate & in tua Justitia; quia  
multò plús deberet homo confidere in Po-  
testate, quæ nunquam potest vinci, quam  
in potestate, quæ quotidie superatur; &  
multò plús deberet roborari propter Do-  
minum, qui semper est verus & justus,  
quam debilitari propter inimicum inju-  
riosum, qui aliquando cognoscit suas inju-  
rias

13. e. O Domine fortis super omnes fortitudines! O Domine dulcis super omnes dulcedines! Quando fidelis Christianus stat coram infideli, qui ei minatur amputare caput, nisi abneget sanctam Fidem, si contingat, quod timor accedat ad eum, statim debet cogitare sibi esse propinquius tuum Adjutorium, quam poena, quam infidelis ei minatur, & Te plus velle eum juvare, quam suus inimicus ei possit nocere.

14. Qui non habent istum modum, Domine, & timent a malis hominibus, ne eos occidant, & non confidunt in tuo Adjutorio, ideo timent, quia plus amant possidere vitam in hoc mundo, quam esse laudatores tuae Nobilitatis & praecones magnae poenae, quam sustinuisti pro tuo populo.

15. Cum ego, Domine, habuerim maiorem timorem a meis inimicis, quam diligentiam dandi laudem de tuo Nominе & de tua sancta Passione, imposterum volo relinquere timorem & medium, quem solebam

bam tenere, & confidendo in tuo Adjutorio volo ire ad dandum laudem de tua sancta Trinitate & de tua sancta Incarnatione, & adeò confidam in tuo Adjutorio, quòd nullus homo, quantumcunque mihi sit inimicus, me possit detinere.

16. f. *Patiens Domine, liber, amoroſe!*  
Cúm eques, qui pugnat, confidat in sua munitione & in suo equo & in fortitudine sua & suorum sociorum, beati, qui pro amore Tui pugnant in via martyrii, bene debent confidere in tuo Adjutorio & in tua Fortitudine.

17. Nam arma, quæ homo habet in campo, franguntur & debilitantur, & equus cadit & vulneratur, & quidam socii, fugiunt ab aliis; sed Tu, *Domine*, non corrumperis, nec fugis, nec vinceris.

18. Quando ego pugnabo cum inimicis Fidei, si ipsi putent me vincere suis viribus & suis verbis & suis armis, ego, *Domine*, intendam & credam eos vincere tuo Adjutorio & tuâ benedictione.

19. g. *O DEVS magne, mirabilis, qui*

N

Te

*Te humiliasti in nostra Domina sancta MARIA, quando Te incarnasti in ea ! Si meis inimicis est proprium esse malos & crudelis & ingratos & mihi contrarios, Tibi, Domine, est proprium amare & succurrere & adjuvare omnes illos, qui pro amore Tui tribulantur : igitur quare debeo timere à meis inimicis ?*

20. Si mei inimici sunt potentes me cogere & à me auferre bona temporalia, Tu, Domine, es potens ipsa mihi reddere, & mihi dare meliora , quotiescunque Tibi placeat.

21. Si mei inimici possunt me occidere, & à me auferre corpus in hoc mundo, Tu, Domine , es adeò potens, quòd ipsum mihi possis reddere in die judicii multò melius & pulchrius, quam nunc sit: quare igitur timebo perdere id , quod Tu mihi potes reddere ?

22. h. JESU Christe Domine, qui natus es de nostra Domina sancta MARIA! Major inimicus, quem ego habeo in hoc mundo, sum ego ipse , qui sum mihi met  
mor-

*V. I. Li. II. Di. XVIII. Cap. LXXXV.* 195  
mortalis inimicus: igitur, cùm hoc i:a sit,  
quòcunque vadam, eo & sum cum meo  
mortali inimico.

23. Ratio, quare ego, *Domine*, sum  
inimicus mei ipsius, est, quia me inclino  
ad eundum per secundum motum, qui oc-  
cidit & destruit & debilitat omnes illos,  
qui per eum vadunt.

24. Nisi Tu, *Domine*, me adjuves à me  
ipso taliter, quòd non sim inimicus mei  
ipsius, vincar & superabor à mea malig-  
nitate & à mea fragilitate, & tanquam ho-  
mo derelictus peribo in perdurabilibus la-  
boribus.

25. i. *Domine laudate canticis & oratio-*  
*nibus dulcedinis, amoris & placiti!* Bene-  
dictus sis & benedicta sit tua Gloria; quia  
valde bonum est, quòd adjuves tuos ami-  
cos, ut vincant tuos inimicos; sed, si Tu  
adjuvares me, qui jam sum victus, istud  
esset magnum Adjutorium; quoniam ma-  
jori adjutorio indiget homo victus, quàm  
qui non est victus.

26. Ego, *Domine*, non sum dignus ad-  
juvari

juvari à Te, sed tuum Adjutorium est mihi  
valde necessarium: unde, cùm ego non sim  
dignus adjuvari à Te, non audeo Te pre-  
cari, ut me adjuves quantum ad respectum  
meæ dignitatis; sed quia non possum effu-  
gere ignem perdurablem sinè tuo Adjuto-  
rio, ideo non possum me continere à pe-  
tendo ipsum.

27. *O Domine DEVS!* Ego sum de  
illis, qui jam sunt vici & superati à suis  
mortalibus inimicis: quapropter sic victus  
& malè tractatus ab eis recurro ad tuum  
Adjutorium, & peto ipsum à Te memoran-  
do tuam Misericordiam.

28. K. *O Domine amate, memorate, qui  
non habes in oblivione tuos benevolos!* Fide-  
les Christiani, qui vincunt peccata per  
tuum Adjutorium, adeò adjuvantur à tua  
gratia, quòd nullos inimicos quantumcun-  
que malos timeant; nam, quoniam sunt sinè  
peccato, non timent, ne domus cadat su-  
per ipsos, nec timent minas nec ullum la-  
borem nec ullam mortem.

29. Illi, qui sunt sinè peccato, *Domine,*  
quare

quare timebunt à suis inimicis , quoniam  
omnia mala , quæ possint eis fieri, sunt ad  
gloriam & exaltationem suarum anima-  
rum ? imò debent desiderare sustinere af-  
flictiones & labores & angustias & dolores  
& mortem pro tuo amore.

30. Magnam rationem habent, *Domi-*  
*ne*, qui sunt in tua Custodia & in tuo Ad-  
jutorio, quocunque eant & ubicunque sint,  
eundi & essendi cum lætitia & jucunditate  
& devotione & audacia , & non mœrendi  
nec timendi propter minas & labores, dum-  
modo eos sustineant per gratiam & Adju-  
torium sui Domini DEI.

## CAPUT LXXXVI.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS** *adjuvet omnes illos, qui faciunt  
pœnitentiam.*

i. **D**EVS gloriose, virtuose, pie , amo-  
a. *rose : Per tuum Adjutorium faci-*  
*unt peccatores pœnitentiam ; quia sinè*  
*ipso*

ipso nullus peccator posset exire à peccato,  
nec posset facere pœnitentiam.

2. Nam, quia homo, *Domine*, per se ipsum est res defectuosa, quæ venit à privatione, postquam cecidit in peccatum, & vadit per secundum motum, ideo non habet naturam nec proprietatem de se, per quam exeat à peccato; quoniam suum peccatum & suus defectus sunt de natura ipsius accidentaliter ratione privationis, à qua devènit.

3. Unde, cùm homo per se non possit exire à peccato, Tu, *Domine*, per gratiam eum adjuvas, ut exeat, & pœniteat eum peccatorum, quæ fecit; quod Adjutorium ei das ponendo eum in libero arbitrio, quo possit exire à peccato.

4. b. *Grate Domine, amoroſe, dulcis & ſimplex & ſuavis!* Laus & gloria & benedictio dentur tuo Adjutorio, quod hominibus pœnitentiam agentibus dat gratiam eundi per primum motum, qui est talis naturæ & proprietatis, quòd omnes, qui per ipsum eunt, eant per bona opera & per vias

planas & veras & securas.

5. Ratione Adjutorii , quod Tu, *Domine*, das beatis Confessoribus , ut eant per primum motum , ipsi faciunt jejunia & eleemosynas & orationes , & habent contritionem & pœnitudinem suorum peccatorum.

6. Sicut à secundo motu descendunt omnia vitia in homine, ita, *Domine* , per tuum Adjutorium à primo motu veniunt & descendunt in ipso omnes benedictiones & virtutes.

7. c. *Domine vere DEVS, a quo descendent & veniunt omnes gratiae & omnes virtutes!* Sicut terræ est naturale descendere, & non ascendere ratione suæ ponderositatis, ita est proprium homini peccare & errare , quia ex parte sui ipsius est totus plenus defectibus & fragilitatibus & miseriis.

8. Sed, sicut est proprium & naturale igni & aeri tendere sursum ratione suæ levitatis, & elevare aquam & terram, in quibus sunt compositi in atomis; ita, *Domine*,

tuo

tuō Adjutorio est proprium erigere peccatores à peccatis , & eos elevare ad pœnitentiam , ad quam non possent ascendere finē ipso.

9. Omnes facientes pœnitentiam debent lætanter & devotè laudare , Domine , tuum Adjutorium , quia in eis mortificat potentiam sensitivam , & facit venire in ipsorum corda pœnitudines & amores & devotiones , & in ora orationes & cantica laudem , & in oculos lacrymas & ploratus .

10. d. Rex Regum , Domine terræ & oclorum ! Non est consuetudo latronis dare nec reddere , nec hominis luxuriosi servare castitatem , nec est consuetudo hominis superbi humilitas , nec hominis falsi legalitas , nec hominis gulosi continentia .

11. Unde , cūm de omnibus istis vitiis eleves , Domine , hominem ad pœnitentiam , nemo est , qui pœnitentiam agat per operationem nec per naturam sui ipsius , sed solūm ratione tui Adjutorii , quod hominem appropinquat virtutibus , & elongat à vitiis .

12. Unde

12. Unde benedictum sit, *Domine Deus*, tuum Adjutorium, quod facit latronem restituere res, quas furatus est, & facit esse castitatem in homine, qui fuit luxuriosus, & facit esse legalem illum, qui erat plenus falsitate, & continentem illum, qui erat plenus gulâ.

13. e. *O Domine Deus*, qui adjuvas tuos populos a dæmonibus, qui sunt sui mortales inimici! Sicut calor & frigus sunt qualitates, quæ sibi invicem contrariantur in natura & proprietate, ita homo, qui fuit peccator, quando facit pœnitentiam, contrariatur suæmet naturæ, & ista ipsi.

14. Cúm ego, *Domine*, videam tot homines religiosos & tot sœculares facere pœnitentiam, quos vidi facere multa peccata, habeo valde magnam rationem laudandi tuum Adjutorium, quod adjuvat tot homines ad faciendum pœnitentiam.

15. Tuus subditus & tuus captivus, *Domine Deus*, Te adorat & Te laudat & benedicit ante tuum benedictum Altare vero & devoto corde, & oculis plenis plo-  
ratibus

202 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
ratibus & lacrymis, & confidit in tuo Ad-  
jutorio, quòd eum adjuvet, sicut adjuvat  
alios peccatores ad faciendum pœnitentia-  
tiam.

16. f. *Æterne Domine, qui per viam  
martyrii demonstrasti veram viam fidelibus  
Christianis!* Si peccatores non compleant  
in hoc mundo suam pœnitentiam, in pur-  
gatorio eam complent per confortationem  
& gratiam tui Adjutorii, quod eos sustinet,  
ut possint eam complere.

17. Nam sinè tuo Adjutorio, *Domine*,  
nullus homo in purgatorio posset facere  
pœnitentiam ratione gravium laborum &  
dolorum & ignis infernalis, qui eos statim  
deleret; sed tuum Adjutorium eos taliter  
sustinet, quòd non possint deleri à labori-  
bus & tormentis, quæ sufferunt.

18. Cúm Tu, *Domine*, repræsentes  
peccatoribus, qui in purgatorio faciunt  
pœnitentiam, gloriam paradisi, & pœnas,  
in quibus sunt, habituras esse finem, & post  
ipsum eos esse ituros ad possidendum glo-  
riam sinè fine, ista repræsentatio est eis

adecò magna confortatio, quòd fere tota sua pœna sit levis ad sufferendum.

19. g. *O Domine alte! O Domine large!*  
*O Domine honorate!* Maxima pressura, quam ego unquam sensi, fuit, quando me mutavi de peccato ad pœnitentiam.

20. Adeò grave est, *Domine*, homini peccatori exire à peccato, & facere pœnitentiam, quòd nunquam, nisi me adjuvares, in meo corde haberem contritionem nec pœnitudinem meorum peccatorum, nec in meo ore essent confessiones nec orationes nec jejunia, nec in meis oculis ploratus & lacrymæ.

21. Sicut homo existens in gravibus tormentis indiget adjutorio sui boni Domini & suorum benevolorum, ita, *Domine*, tuus subditus indiget tuo Adjutorio & tuo succursu, ut possit facere pœnitentiam de suis gravibus peccatis & de suis magnis defectibus.

22. h. *Perdurabilis Domine, Remissor culparum & injuriarum omnium illorum, qui a Te petunt remissionem!* Mea natura est adeò .

adèò contraria pœnitentiæ, quòd per me ipsum non possim eam vincere, nec inducere ad faciendum pœnitentiam; quare peto à Te gratiam, ut me adjuves ad vincendum & cogendum me ipsum, ut in hoc sæculo possim facere pœnitentiam de magnis defectibus, quos feci contra Te.

23. Totum Adjutorium, quod ego à Te peto, *Domine DEVS*, est, ut me benedicas & gratifiques, & adèò me inamores de Te, quòd amem Te plús, quàm me, & ullam aliam rem.

24. Quando Tu, *Domine*, mihi des complementum amoris, statim ero paratus ad faciendum pœnitentiam; quia statim meum cor incipiet Te perfectè amare, & pœnitere suorum defectuum, & statim dabit meo ori veram confessionem, & ipsum implebit tuis laudibus, & statim implebit meos oculos ploratibus & lacrymis, & meæ manus dabunt pauperibus eleemosynas, quas tanto tempore eis denegavi.

25. i. *O Domine DEVS, qui custodis & defendis omnes nos!* Quia ego peccavi omnibus

*Vo. I. Li. II. Di. XVIII. Cap. LXXXVI.* 205  
nibus modis peccatorum, nisi me adjuves  
ad faciendum pœnitentiam tot modis,  
quot peccavi, omnia mea membra in alte-  
ro sæculo torquebuntur omnibus modis  
tomentorum.

26. *Domine gloriose!* Si ego peccavi  
omnibus modis, est mihi necesse, quod  
omnibus modis, quibus homo possit face-  
re pœnitentiam, eam faciam; quia ad om-  
nes modos pœnitentiæ me obligavi, quan-  
do omnibus modis peccavi.

27. Cùm ego, *Domine*, sim adeò fra-  
gilis & misera res, quod sinè tuo Adjuto-  
rio nullatenus possem facere ullam pœni-  
tentiam, & sim obligatus ad faciendum pœ-  
nitentiam de tot peccatis, qui posset æsti-  
mare, quantopere mihi sit necessarium tu-  
um Adjutorium ad faciendum pœnitenti-  
am?

28. K, *Domine potens, vigorose, Pater &*  
*Domine universorum, quæ sunt!* Maledic-  
ti sunt omnes, qui in fine suorum dierum  
sperant facere pœnitentiam; quia longitu-  
do usus & senectus & infirmitas sunt cis-  
con-

contrariæ ad faciendum pœnitentiam ; & beati sunt omnes, qui in sua juventute incipiunt facere pœnitentiam, & in ea perseverant usque ad diem mortis.

29. Peccatores, qui nolunt facere pœnitentiam in hoc mundo, quia desperant eam posse sufferre, ideo desperant, *Domine*, quia non confidunt in tuo Adjutorio; quoniam, si in eo considerent, nullam pœnitentiam perhorrescerent.

30. Vigorosè & ferventer conatur tuus servus, *Domine DEVS*, agere Tibi gratias propter Adjutorium, quod ei fecisti ad ducendum ad perfectionem istam Distinctionem ; & confidit in Te, quòd eum adjuves in omnibus aliis Distinctionibus taliter, quòd sint ad gloriam & laudem Tui, qui es suus Dominus & suus DEUS.


# DISTINCT. XIX.

DE HVMILITATE, QVÆ EST  
*in nostro Domino DEO.*

## CAPUT LXXXVII.

QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS se humiliaverit, quando as-  
sumpsit humanam carnem.

I.  
2.



DEVS excellens, alte  
super omnes altitudines,  
nobilis super omnes nobi-  
litates! Propter mag-  
nam abundantiam hu-  
militatis, quæ est in Te,

placuit Tibi, Domine, assumere humanam  
carnem in benedicta Virgine gloriofa nos-  
tra Domina sancta MARIA.

2. Domine DEVS! Cūm Tu sis  
æternus & infinitus & habeas perfectio-  
nem Potestatis & Sapientiæ, & sis per-  
fectus

108 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
fectus & completus in omnibus Virtutibus,  
& volueris Te conjungere & unire cum  
humana essentia, quæ habet principium  
& finem, quis posset æstimare istam adeò  
magnam Humilitatem?

3. Tu, Domine, voluisti habere istam  
adeò magnam Humilitatem, ut dirigeres  
tuum populum ad viam benedictionis &  
gloriæ, & ut ipsum extraheres à gravi erro-  
re, in quo erat.

4. b. Fortis Domine super omnes fortitu-  
dines, potens super omnes potestates! Laude-  
tur & benedicatur tua sancta Humilitas,  
cujus magnitudinem & bonitatem nullus  
homo posset æstimare, quia Tibi placuit  
Creatorem se unire creaturæ, & rem æter-  
nam rei habenti principium.

5. Quando placuit tuæ divinæ Essen-  
tiæ, Domine, quæ est res adeò virtuosa &  
nobilis & mirabilis, se conjungere cum  
humana essentia, quæ ex parte sui ipsius est  
res pauper & misera, ista Humilitas fuit  
adèò magna, quòd nec cogitatio nec ima-  
ginatio nec ratio nec intellectus possit  
ad

ad eam pertingere & sufficere.

6. Quia tua divina Substantia est conjuncta cum natura hominis, revelatur & demonstratur, *Domine*, tua magna Humilitas; nam, nisi esset facta conjunctio Deitatis & Humanitatis, tua humanitas non posset ita revelari & demonstrari tuo populo.

7. c. Tibi, *Domine DEVS*, qui Te humiliasti erga nos, sit laus & benedictio & cultus & servitium; quia per hoc, quod Te humiliaveris ad assumendum Carnem ratione nostrarum necessitatum & non ratione alicujus rei, quam indigeres, demonstratur tua Humilitas esse major.

8. Quando Tu, *Domine DEVS*, Te humiliasti ad assumendum Carnem, Te humiliasti ut elevares & exaltares humanam naturam, & ut in illa elevatione & exaltatione cognosceretur tua magna Humilitas & tua magna Bonitas: unde, quamvis Te humiliares, tamen non fuit debilitata nec destructa tua magna Bonitas nec tua magna Honorificentia.

O

9. Quot-

9. Quotquot homines sunt, Domine,  
debent se multum roborare ad honorandum  
& laudandum tuam gloriosam Essentiam  
divinam, quæ per Humilitatem voluit se  
conjugere cum humana natura, & à ter-  
ra eam elevare ad altitudines cœlorum.

10. d. *JESV Christe Domine, liber,*  
*abundans omnibus bonis!* Nulla creatura est,  
quæ posset ascendere & pertingere ad gra-  
dum tuæ Humilitatis, quia ipsa est in adeò  
alto gradu, quod nec intellectus nec mens  
nec operatio nec ulla alia res posset ullo  
modo ad ipsum pertingere.

11. Ratio quare nemo posset pertin-  
gere ad tuam Humilitatem, est, Domine,  
quia nulla potest esse ei similis; cùm opor-  
teat esse supremam Humilitatem illam,  
quâ, qui est in altiori magnitudine & no-  
bilitate, se vult conjugere cum homine,  
qui est hic inferiùs inter res infimas.

12. Cùm tua Deitas, Domine, non af-  
sumperit carnem nisi in una individua hu-  
manitate tantum, tua Humilitas est singu-  
laris sive pari & æquali & simili; & nun-  
quam

*V. I. Li. II. Di. XIX. Cap. LXXXVII.* 211  
quam fuit, nec est, nec erit ulla humilitas,  
quæ sit comparabilis cum ipsa.

13. e. *Liberalis Domine!* Tuæ sanctæ  
Humilitati sit laus & gloria & benedictio;  
quia, sicut ipsa est magna & mirabilis per  
hoc, quòd voluerit de supremis bonis &  
altitudinibus Te descendere in hunc mun-  
dum ad assumendum Carnem ; ita magni-  
tudo superbiæ , quæ est in nobis, vult nos  
elevare ad nobilitates & ad altitudines &  
ad honores ad nos non pertinentes.

14. Quotidie videmus, *Domine*, quòd  
homo, qui est vilis officii & vilis loci, per  
superbiam velit accedere in cognatione ad  
hominem melioris generis & officii , quia  
opifex vult dare suum filium vel suam fi-  
liam mercatori & mercator burgensi & bur-  
gensis equiti & eques comiti & comes Re-  
gi , & sic superbia de gradu in gradum  
vult extollere honorificentiam hominum  
ultra terminum, intrà quem debent hono-  
rari.

15. Unde benedicta sit tua sancta Hu-  
militas, *Domine DEVS*, quæ non est simi-  
lis

lis superbiae hominum; quia, sicut homines per superbiam volunt ascendere de imis locis ad superiora, ita Humilitas fecit Te descendere de cœlo in terram, & fecit Te assumere Carnem in paupere Fœmina.

16. f. *O Domine Deus, qui es Lumen omnium luminum & Splendor omnium splendorum!* Tua magna Humilitas est exemplum & demonstratio humilitatis omnibus magnis Dominis & altis Baronibus, ut sumant exemplum humilitatis in Te, & se humilient erga pauperes & miseros homines.

17. Cūm Tu, *Domine*, sis adeò altus & potens & nobilis Dominus, & Te adeò humiliaveris pro amore nostri, quis est ille Rex vel Imperator quantumcunque honofatus, qui sit excusatus ab humiliando se pauperibus hominibus pro amore Tui?

18. Benedicta sit, *Domine Deus*, tua gloriofa Humilitas, quæ est scala humilibus hominibus, ut per ipsam ascendant ad cœlestem gloriam & ad perdurablem benedictionem; & benedicta sit ipsa, quæ est

*V. I. Li. II. Di. XIX. Cap. LXXXVII.* 213  
est scala superbis, ut descendant ad perdu-  
rables pœnas & ad infinitos labores.

19. g. *O Pater omnium temporum, recur-  
sus & restauratio omnium nostrum!* Omnes  
laudemus & benedicamus tuam magnam  
**Humilitatem**, *Domine*, quæ facit homines  
divites humiliare se ad preces pauperum,  
& preces & necessitates pauperum elevat  
ad præsentiam nobilium.

20. Unde, cùm homines pauperes in-  
digeant divitibus, ut recipiant eleemosynas  
ab ipsis, benedicta sit, *Domine*, tua Hu-  
militas, quæ humiliat divites pauperibus; &,  
cùm divites indigeant pauperibus, ut ipsis  
possint dare eleemosynas, laudetur tua Hu-  
militas, quæ pauperes præsentat divitibus,  
ut in eis lucentur meritum gloriæ.

21. Dulcedo & amor & devotio faci-  
unt me, *Domine*, esse laudatorem tuæ Hu-  
militatis, quæ recreavit humanum genus,  
& aperuit viam & semitam perdurable beatitudinis.

22. h. *Misericors Domine, plene Pietate  
& Gratiâ!* Si nobilis Imperator vult audi-  
re

re & auscultare pauperem hominem in suis necessitatibus, & vult cum eo habere familiaritatem, magna est sua humilitas; sed multò major est, si ipse relinquat suum regnum & suum imperium pro tuo amore, & velit se humiliare in ordine paupertatis.

23. Unde, cùm Tu, *Domine*, qui es Imperator & Rex omnium Imperatorum & omnium Regum & omnium Principum, Te volueris conjungere & associare nostræ humanæ naturæ, & volueris ipsam humiliare ad omnem paupertatem & ad omnem laborem pro amore nostri, quis est, qui posset imaginari magnitudinem tuæ Humilitatis? & quomodo posset ulla humilitas transcendere tuam?

24. Homines sunt, qui uno tempore sunt humiles & alio superbi; sed non est ita, *Domine*, de Te; quia, sicut tua Deitas & tua Humanitas æternaliter sinè omni fine erunt in unione, ita eris humilis æternaliter sinè omni fine.

25. i. O *Domine potens, Victor & Coactor omnium*

*V. I. Li. II. Di. XIX. Cap. LXXXVII. 215*  
*omnium rerum*! Si homines, qui sunt pleni  
superbiâ, imaginarentur & memorarent  
tuam magnam Humilitatem, non haberent  
tantam superbiam, quantam habent.

26. Cúm humilitas sit nobilis Virtus,  
& superbia careat omni virtute, & homi-  
nes ascendant per humilitatem & descen-  
dant per superbiam, levius est, *Domine*, per  
humilitatem descendere ad res imas, quâm  
ascendere per superbiam ad altas.

27. Unde propterea, *Domine*, es in  
majori Humilitate, quia descendisti ad as-  
sumendum Carnem, quâm dæmones sint  
in gradu superbiæ, quia voluerunt ascen-  
dere ad tuas honorationes: igitur benedic-  
tus sis, *Domine*; quia valde conveniens est  
Te habere majorem Humilitatem, quâm  
dæmones & superbi homines habeant su-  
perbiam.

28. K. *Rex Regum, Domine Dominorum,*  
*amabilis super omnes amores!* Sicut homo  
intellectualiter intelligit formam, quando  
ipsam sumit in generali, & non intelligit  
ipsam in materia; ita, nisi Tu assumpsisses  
humanam

humanam carnem, solūm intelligeremus in universali tuam Humilitatem; &, sicut forma magis demonstratur, quando intelligitur in materia, quam quando intelligitur sinē materia; ita manifestius intelligimus tuam Humilitatem, quia intelligimus, quod assumpseris humanam carnem.

29. Unde, ut nobis melius demonstretur tua Humilitas, ideo voluisti, *Domine*, assumere Carnem, quando Tibi placuit de excellentibus altitudinibus Te humiliare ad inferiores partes.

30. *Domine DEVS*: Cūm ego sim res pauper & misera & terrena & corrupta per peccatum, sum in tam imo gradu, quod nulla res sit inferior me; quare non possum me humiliare ad rem, quae sit sub me: igitur, ut possim esse humilis, rogo Te, ut me eleves in tantum, quod me possim humiliare ad res, quae remanebunt infra me, & per humilitatem possim pervenire ad præsentiam Tui, qui es meus Dominus & meus DEUS.

CAPUT

## CAPUT LXXXVIII.

**QVO MODO NOSTER DOMINVS  
JESVS** Christus fuerit humilis in hoc  
mundo in omnibus suis operibus.

1. **O JESV** Christe Domine gloriose,  
a. amoroſe, abundans omnibus bonis!  
Tuæ sanctæ Humilitati sit gloria & honor  
ſemper, quæ in tua Nativitate Te adeò  
humiliavit, quòd in viliori loco & hospitio  
Te fecerit naſci; quia valde magna Humi-  
litas fuit in hoc, quòd natus fueris in sta-  
bulo, quod inhabitabant bestiæ, & nolueris  
naſci in camera habitata ab hominibus.

2. Ut tua Humilitas, *Domine*, nobis  
meliús demonstraretur, voluisti in tua Na-  
tivitate non esse multas fœminas, quæ ad-  
juvarent beatam Virginem glorioſam, &  
noſtram Dominam non habere multos pa-  
nos, quibus Te involveret; & totum hoc  
voluisti, ut per defectum adjutorii fœmi-  
narum & pannorum totus nudus ponere-  
ris in terra.

3. Tua

3. Tua Nativitas, *Domine*, fuit adeò plena magnâ Humilitate, quòd totum Te tradideris humilitati; & in die, quâ es natus, ita parum voluisti demonstrare tuam Potestatem & tuam Sapientiam, sicut si nullam haberes; & hoc fecisti, ut tua Humilitas videretur major.

4. b. *Domine liber, liberalis in omnibus bonis!* Quia per paupertatem accedit homo plús ad humilitatem, quàm per divitias, ideo voluisti in hoc mundo eligere paupertatem; & voluisti esse pauper, ut Humilitas melius demonstraretur in Te.

5. Cúm sit naturale humilitati, quòd homo humilis plús amet societatem & familiaritatem humilium & pauperum hominum, quàm divitum & superborum; ideo voluisti, *Domine*, esse in societate & familiaritate pauperum & humilium hominum.

6. Quia homines, qui in hoc mundo sunt pauperes, & ignomiñiis & tormentis premuntur à divitibus, sunt per naturam humilitatis depauperati & contempti; prop-

terea

terea voluisti, *Domine*, ut Humilitas esset perfectè in Te, esse pauper, & contemni, illudi & torqueri; & noluisti esse de divitibus hominibus, qui per superbiam, quæ est in ipsis, vilipendunt & affligunt pauperes.

7. c. *Vere Domine, amoroſe, honorate ſuper omnes honores!* Quando eras in hac præfenti vita, ſi voluiffes, potuiffes facere multa miracula, quæ non fecisti; quia tot miracula potuiffes facere, quousque omnes homines, qui erant in mundo, potuiffes convertere; ſed, quia amasti ordinem paupertatis ratione Humilitatis, ideo noluisti facere tot miracula, quo potuiffes facere.

8. Tu, *Domine*, non prædicasti in synagogis, secundum quod potuiffes prædicare, & hoc fecisti, quia multitudo miraculorum & sermonum plús significat honorem & nobilitatem, quàm Humilitatem: unde, ut magnum signum Humilitatis videretur in Te, noluisti facere miracula nec prædicare gentibus, secundum quod potuiffes,

isces, si voluisses.

9. *Gloriose Domine!* Cúm in talibus rebus volueris demonstrare tuam Humilitatem, in omnibus rebus debes intelligi esse humilis Dominus plenus omni dulcedine & pietate & gratiâ.

10. d. *O Domine virtuose, juste, fortis super omnes fortitudines!* Tua Humilitas in tuo statu se demonstravit, quando in hoc mundo vixisti; quia in tua vita non fuit nisi Humilitas ita, quòd in omni, quod dicebas & faciebas, Te demonstrabas humilem & plenum patientiâ.

11. In quibuscunque modis intellectus hominis possit cogitare & aestimare humilitatem, voluisti eam habere, *Domine*, quando fuisti in hoc mundo; & adhuc multò plús humilitatis habuisti, quàm intellectus hominis possit percipere.

12. Quis est, *Domine*, qui posset aestimare omnes laudes & honorationes, quas potuisses habere in hoc mundo, si voluisses? unde, quot honorationes & laudes reliquisti, quas noluisti habere in hoc mundo,

tot

*V. I. Lib. II. Di. XIX. Cap. LXXXVIII. 221*  
tot sunt tuæ humiliations.

13. e. *Placide Domine, humiliis, dulcis,  
simplex & suavis!* Adeò plenus fuisti magna Humilitate in die tuæ sanctæ Passionis, quòd omnes tuos quinque sensus corporales volueris tradere angustiis & laboribus, & omnes ipsos volueris tradere in manus tuorum inimicorum, qui Te totum excoriaverunt & vulneraverunt & male tractaverunt.

14. *Humilitas, Domine, Te fecit genuflectere ante tuos Apostolos, & Te fecit lavare illorum pedes, & tergere linteo,* quo præcinctus eras: unde, cùm Tu es Dominus, Humilitas Te faciebat stare in similitudinem vassalli & subditi.

15. *JE SV Christe Domine!* Humilitas Te fecit humiliari ad moriendum in meliori tempore & meliori ætate, in qua homo possit vivere in hoc mundo: igitur, cùm tot modis fueris humiliis, quis est adeò humiliis & patiens sicut Tu?

16. f. *JE SV Christe Domine!* Laudetur & benedicatur tua sancta Humilitas, quæ Te

Te fecit in hoc sæculo ire peditem & fecit  
ire tuos pedes discalceatos per vias monta-  
nas & lapidosas & spinosas.

17. **Humilitas, Domine,** Te fecit equi-  
tare in asina, quæ est vilior bestia, in qua  
homo possit equitare: unde, sicut per Hu-  
militatem voluisti equitare in asina, ita ho-  
mines superbi non volunt equitare nisi in  
pulchris equis & pulchrè ornatis.

18. **Sicut Tu, Domine,** propter Humi-  
litatem noluisti equitare, nisi in asina nu-  
da, ita superbi nolunt equitare nisi in equis  
ornatis pulchris sellis & frenis & pectora-  
libus deauratis & deargentatis.

19. g. **O DEVS, Domine magne,** intra  
cujus Magnitudinem sunt comprehensæ omnes  
aliæ magnitudines! Quando Te humiliabas  
in hoc mundo hominibus superbis, non Te  
humiliabas, quia eos timeres, sed quia eos  
multum amabas.

20. Melior Humilitas, quam homo pos-  
sit habere, est, **Domine**, quando se humili-  
iat ex amore, & pejor est, quando se hu-  
miliat ex timore; quapropter humilitati  
q. a.

*V. I. L. II. D. XIX. Cap. LXXXVIII. 223*  
quæ venit ex timore, non debetur grati-  
tudo.

21. Si homo pauper & miser se humiliet homini diviti, ut ei det de suis divitiis, non est humilitas, quæ sit appretianda; sed, quando Tu, *Domine*, qui es adeò nobilis & dives & honoratus, Te voluisti humiliare hominibus pauperibus, ut eos ditares tuâ gloriâ, ista fuit Humilitas, quæ est valde amanda & appretianda.

22. h. *Domine DEVS*, qui restauras & salvas tuos amicos à potestate dæmonis! Si volentibus se humiliare pauperibus pro tuo amore sua natura repugnet ad habendum humilitatem, melius consilium, quod possint accipere, est memorare tuam Humilitatem; quia, si Tu, qui es DEUS & Dominus, Te humiliasti tuo populo, bene potest omnis homo, quantumcunque dives & honoratus sit, se humiliare suo proximo sibi pari.

23. Memorando & cogitando tuam magnam Humilitatem potest omnis homo, *Domine*, vincere suam naturam & suum

su-

superbum cor, & potest se humiliare ad omne id, quod velit.

24. Valde magnam rationem & causam habeo, *Domine*, laudandi tuam benedictam Humilitatem, quia nunquam potui in me destruere superbiam, nec potui me humiliare, quo usque memoravi tuam magnam Humilitatem; & , quamprimum eam concepi in mea memoria per tuam gratiam & benedictionem, statim feci de me, quidquid volui.

25. i. *Juste Domine, vere in omnibus factis & in omnibus verbis!* Qui bene vult imaginari & percipere tuam Humilitatem, attendat ad opera, quæ faciunt homines superbi; quia per contrarium illorum operum poterit cognoscere, quā magna sit tua Humilitas.

26. Sunt homines, qui dant in se ipsis similitudinem humilitatis, quia non habent scientiam nec potestatem, quā sciant esse superbi , nec sciunt habere aspectum hominis superbi: unde talis humilitas nihil valet; sed , cūm Tu, *Domine*, sis plenus omni

*V. I. L. II. Di. XIX. Cap. LXXXVIII.* 225  
omni sapientiâ, & habeas tantam potesta-  
tem, sis adeò humilis, tua Humilitas est  
bona.

27. *Domine DEVS!* Sicut superbia  
facit hominem esse iracundum & rusticum  
& malè morigeratum, ita Humilitas Te fe-  
cit esse hominem dulcem & simplicem &  
suavem & bene morigeratum, quando eras  
in mundo inter homines.

28. K. *O Domine JESV Christe, qui me-*  
*reris omnem gloriam & omnem laudem &*  
*omnem honorationem!* Non est mirum, si  
homo vilius culpabilis se humiliet ante su-  
um bonum dominum, ut ei parcat; sed,  
cùm Tu, qui es Dominus, & non fecisti  
ullum defectum, Te volueris humiliare;  
hoc est magna & mirabilis Humilitas.

29. *Domine DEVS!* In magno timo-  
re & tremore stat tuus servus & tuus sub-  
ditus; quia, sicut omnia tua opera eunt  
per Humilitatem, ita omnia mala opera,  
quæ quondam feci, iverunt per vias super-  
biæ.

30. *Omnes homines superbi veniant,*

P

Do-

*Domine, se humiliare ante formam sanctæ Crucis, quæ repræsentat formam tuæ gloriæ Humilitatis; & omnes demus humiles voces & huinilia cantica & humiles laudes de Te, qui es noster Dominus DEUS.*

## CAPUT LXXXIX.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS JESVS** Christus fuerit humilis in omnibus suis verbis.

1. **J**ESVS Christe Domine! Sanctitas & a. Gloria & Virtus & Benedictio sint Tibi ratione tuæ magnæ Humilitatis; quia omnia, quæ cogitabas in tuo corde, & omnia verba, quæ dicebas, erant in Humilitate & plena Humilitate.

2. Sicut de bona arbore nascitur bonus fructus; ita, *Domine*, de tuo benedicto Corde nascebantur in tuo ore verba dulcia & humilia & amorosa, quia procedebant ex Corde pleno amore & dulcedine.

3. Quando

3. Quando fuisti in hoc mundo, *Dominus*, semper fuerunt omnia tua verba plena Humilitate, & fuerunt tota pulchra & vera & recta, & nulla instructio nec ulla affabilitas defuit eis.

4. b. *Æterne Domine Pater cœlestis!* Adeò fuerunt tua benedicta Verba humilia & amorosa, quod nulla alia debeat homo desiderare ad auscultandum & audiendum & memorandum nisi ipsa.

5. Si homo surdus, qui inhonoratur & blasphematur, non habet inurbana & superba verba contra illos, qui eum inhonrant & blasphemant, non est mirum; sed, cùm Tu, *Domine*, scires cogitationes iudæorum, qui Te inhonorabant & blasphemabant, & audires ipsorum verba, & tamen tua verba essent urbana, in hoc demonstratur Humilitas tuorum verborum.

6. Judæi non adeò inhonorabant nec vilipendebant nec irridebant nec torquebant Te, *Domine*, quod unquam de tuo ore exirent verba superba & inordinata & inurbana; & per nullas res, quas judæi Tibi

po-

potuerint facere & dicere , tua verba unquam exierunt à regula veritatis & Humilitatis.

7. c. *Amabilis Domine , plene Misericordia & Pietate!* Adeò fuerunt tua benedicta verba plena Misericordiâ & Humilitate & Veritate & omni Sanctitate, quòd omnes homines superbi possint ex eis sumere exemplum ad deserendum sua verba inurbana & superba , & ad se sociandum verbis humilibus cum pauperibus.

8. Tuum Os , *Domine* , fuit in adeò magna Humilitate , quòd nunquam in eo potuerit nominari ullum verbum inurbatum nec injiosum nec mendax nec immundum nec turpe, imò omnia tua verba fuerunt in omnibus pulchris dictionibus & in omnibus bonis educationibus.

9. Cúm omnia tua verba , *Domine* , fuerint adeò humilia & pia & amorosa, valde indecens mihi est , quòd mea verba fuerint adeò superba & præcipitata & turpia & inurbana ; & totum hoc mihi evenit à magna superbia , quæ erat in meo corde.

10. d. *Domine magne, Domine alte, Domine mirabilis!* Quando non sufficit hominibus superbis potestas ad faciendum opera superba, eis sufficiunt verba superba & inurbana: unde benedictus sis, nam non est ita de Te; quoniam, sicut habes Potestatem ad faciendum omnia, ita tua verba sufficiunt ad omnem Humilitatem & ad omnem urbanitatem.

11. *JE SV Christe Domine!* Sicut homines superbi se jactant de magna potestate & de magna honoratione dicendo verba elata & superba, ita per contrarium, dum eras inter nos, demonstrabas gentibus tuam magnam Potestatem esse parvam in hoc, quod Te permittebas torqueri & occidi, & demonstrabas tua verba adeo humilia, sicut si fecisses aliquem defectum, quem nunquam fecisti.

12. Per humilia opera & per humilia verba, quae homo habet erga superbos, domat in eis malam voluntatem & superbiam; & Tu, *Domine*, nunquam demonstrasti iudæis

dæis opera adeò simplicia & amorosa, nec  
dixisti eis adeò humilia & pia verba, quòd  
domarentur & mitigarentur ab ira, quam  
habebant contra Te.

13. e. O Domine **D E V S**, qui es adeò  
magnus & nobilis, quòd omnia comprehen-  
dantur intra Te, & Tu non comprehendaris  
ab ullo: Naturale est homini superbo om-  
nes suas cogitationes & omnia sua verba  
esse superba, & naturale est de superbis  
cogitationibus & verbis exire vitia & cul-  
pas, & propterea Tibi placuit, Domine, om-  
nia tua verba esse humilia & similiter om-  
nes tuas cogitationes, ut ex eis exirent ope-  
ra fructuosa & virtuosa.

14. Superba verba deviant homines  
à via Veritatis, & ducunt eos in viam er-  
roris, & inurbana & superba verba faciunt  
de homine bene morato & humili rusticum  
& superbum: ideo voluisti, Domine, habere  
humilia & dulcia & pia verba, ut homines  
superbos & malè moratos adduceretis ad re-  
gulam Suavitatis & Humilitatis & Veri-  
tatis.

15. Si

15. Si superbia acuit linguas hominum ad dicendum verba superba & plena fraude & falsitate, Humilitas, *Domine*, implevit totum tuum os Veritate & humilibus & dulcibus & suavibus verbis.

16. f. *Domine large, Domine suavis, Domine pie, Domine sapiens!* Nos non audemus dicere verba inurbana hominibus superbis, quia inde sequeretur nobis damnnum: igitur, cùm iudæis, qui Te torquebant, non diceres ullum verbum inurbatum nec superbum, imò omnia tua verba essent simplicia & humilia, quare Te torquebant & malè tractabant propter humilia & amorosa verba?

17. Cùm verba debeant laudari & honorari, *Domine*, quando sunt vera & humilia & erudita, & quando sunt superba & inurbana & mendacia, debeant contemni & vilipendi, quare non honorabantur & laudabantur tua verba in die Passionis, quoniam erant humilia & vera? & quare inurbana verba iudæorum non reprehendebantur, quoniam erant turpia & sinè omni

ni Veritate?

18. Sicut Rex vel Princeps vel altus Baro, *Domine*, loquitur suo vasallo superbè, & significat in suis verbis se esse Domi-  
num; ita per contrarium Tu loquebaris  
cum judæis, & dicebas verba humilia &  
amorosa, & non loquebaris ad modum Do-  
mini, sed vasalli.

19. g. O *Domine vere, juste Judex in om-  
nibus, quæ judicas!* Si Tu voluisses habere  
tua verba humilia ratione aliquarum tua-  
rum necessitatum, ipsa non fuissent adeò  
humilia; sed, quia voluisti habere verba  
humilia ratione nostrarum necessitarum,  
in hoc demonstrantur tua verba humili-  
ra.

20. Si vasallus se humiliet ante suum  
Dominum propter suas necessitates, & ei-  
dicat verba humilia & devota, ut eum mo-  
veat ad pietatem, non est mirum, *Domine*;  
sed, quod est valde mirum, est, quod  
Tu, qui es cœlestis Dominus, Te volueris  
humiliare tuis vasallis propter nostras ne-  
cessitates.

21. Sicut

21. Sicut tua benedicta verba, *Domine*, fuerunt sapientiora & subtiliora & virtuosiora, quam alia, ita fuit conveniens, quod essent humiliora & amorosiora & pleniora pietate.

22. h. *Suavis Domine, Remissor amoroſe!* Aliqui homines sunt, qui uno tempore loquuntur humiliter, & alio superbè: unde benedictus sis, quia non est ita de Te; quoniam tua verba semper fuerunt humilia & dulcia & suavia sine ullo intermedio.

23. Ratio, quare tua Verba, *Domine*, semper fuerunt dulcia & humilia & simplicita, est, quia Veritas nunquam discessit à tuo ore, & à tuo corde nunquam recessit ordinata intentio: & ratio, quare nos quandoque loquimur superbè, quandoque humiliter, est, quia veritas non semper stat in nostro ore, nec ordinata intentio in nostro corde.

24. Unde, cùm per veritatem & per bonam intentionem dicantur verba humilia & pia, *Domine*, per privationem veritatis & bonæ intentionis dicuntur verba mala

mala & superba & impia.

25. i. *Benedicte Domine, qui es Primus omnium principiorum & ultimus omnium finium!* Sicut tua verba fuerunt benedicta & humilia omnibus modis, quibus verba possunt esse humilia & amorosa; ita per contrarium omnia mea verba fuerunt superba omnibus modis, quibus verba possunt esse elata & superba.

26. *Gloriose Domine!* Mihi videtur omnibus modis mea verba fuisse contraria tuis; quia omnia tua verba fuerunt humilia, & omnia mea fuerunt superba; & omnia tua fuerunt, ut nos haberemus salvationem, & omnia mea fuerunt, ut ego laudarer & beneficiarer istis bonis temporalibus.

27. Sicut tua verba, *Domine*, fuerunt humilia per hoc, quod Tu ea diceres & loquereris ratione nostrarum necessitatum; ita mea verba fuerunt superba per hoc, quod ego ea dicarem, & non loquerer, nisi de mea nobilitate & laude.

28. K. *Gloriose Rex Glorie, sapiens super omnem*

*omnem sapientiam, plene benedictione & gratia!* Adeò magna est, *Domine*, Humilitas tuorum verborum, quòd omnia verba, quæcunque sunt humilia in hominibus religiosis & justis, sumant formam & materiam ab Humilitate tuorum Verborum.

29. Unde, quicunque reprehendit humilia verba hominum religiosorum, est, *Domine*, contra humilitatem tuorum verborum, & propterea oportet esse inconsiderata & superba omnia verba, quæ sunt contraria humilibus verbis hominum, qui sumunt formam in suo loqui à tuis verbis.

30. Omnes demus laudem & gloriam & benedictionem de tuis humilibus verbis, *Domine*, & omnes capiamus formam & materiam ex humilitate ipsorum, ut nostra verba sint simplicia & humilia quotiescunque loquemur & dabisimus laudem de nostro Domino DEO.

CAPUT

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
JESVS Christus fuerit humiliis in sua  
sancta Passione.**

1. **O JESV Christe, Pater & Domine  
universorum, quæ sunt!** Benedictus  
sis Tu & quidquid tuum est; quia valde  
magnum Humilitatem habuisti, quando  
Tibi placuit Te humiliare ad moriendum;  
quoniam, cùm mors sit contraria vitæ, &  
quantum ad Deitatem, sis perdurabilis Vi-  
ta, valde magna fuit tua Humilitas, quan-  
do Humanitatem unitam cùm Deitate vo-  
luisti inclinare ad mortem.

2. Cùm judæi, qui Te occiderunt,  
**Domine**, essent homines viles & miseri &  
injuriosi, tua Passio & tua Mors fuit val-  
de humilio per hoc, quod ab ipsis Te per-  
miseris torqueri & occidi.

3. **Domine DEVS!** Sicut Tu fuisti  
humilis in vita, ita voluisti esse humiliis in  
morte, ut nos sumeremus exemplum Hu-  
militatis

militatis à tua vita & morte & ut essemus humiles in vita & in morte.

4. b. *Domine, cui servitum, Domine, cui amor, Domine, cui honor debetur!* Ut tua Mors esset plena Humilitate voluisti in ea non esse multos homines plorantes & plangentes, nec in ea esse multos homines, qui propter Te scinderent sua vestimenta & suas facies, & evellerent suos capillos, nec qui propter tuam mortem induerentur nigris vestibus.

5. In tua sancta Passione, *Domine,* fuerunt multi homines irrisores, qui eam irridebant, & in tua Morte fuerunt multi homines, qui lætabantur de omnibus tuis laboribus, & totum hoc fuit ut tua Mors esset humilior.

6. In tua Passione, *Domine,* non fuerunt homines, qui tuum benedictum Corpus lavarent, & qui illud involverent pannis ex auro & serico, nec fuerunt, qui illud thurificarent, nec qui faces & cereos incenderent, nec fuit, qui congregaret primates, qui Tibi facerent honorem ad sep-

pul-

pulturam, nec fuerunt Clerici, qui Tibi facerent processionem: quomodo igitur tua Mors posset esse humilior & vilior & ignominiosior?

7. c. *Singularis Domine sine pari & socio:*  
Latronem video, quando ducitur ad supplicium, duci equitando; & quando Tu fuisti ductus ad crucifigendum, non fuit, qui Tibi daret bestiam, in qua equitares, immo fecerunt Te ire peditem, & portare crucem ad similitudinem bajuli.

8. Ad mortem fuisti, *Domine*, ductus in abjectiorem & viliorem locum, qui potuit inveniri; quia ubi suspendebantur & torquebantur latrones, fuisti occisus, & in medio duorum latronum fuisti suspensus, & a tuis discipulis fuisti negatus & derelictus, & tanquam bestia mortua projecta in sterquilinum fuisti ejectus, &, nisi fuisset Joseph ab Arimathia, non fuisset, qui Te sepelisset.

9. Quis est, qui posset aestimare, *Domine*, tuam magnam Humilitatem & magnam superbiam, quae est in nobis? nam nostra

nōstra morte facimus oppositum illius, quod fecisti in tua; quoniam magnā copiā facum & cereorum volumus sepeliri, & magnā processione Clericorum & hominum nos sequentium volumus deferri ad sepulturam, & multos clamores & ploratus & planctus volumus ibi esse, & cadaver cooperiri volumus pannis deauratis, & homines honoratos ipsum portare & sepelire: igitur quæ superbia, *Domine*, posset esse major illâ, quam habemus in morte?

10. d. *Excellens Rex Gloriæ!* Sanctitas & Benedictio & Virtus sint tuæ Humilitati, quæ Te fecit mori viliori morte, quâ unquam ullus homo mortuus fit: unde benedicta sit tua Humilitas, *Domine*; quia, sicut Adam peccavit in paradyso terrestri per superbiam comedendo melius pomum, quod erat in eo, ita Humilitas Te fecit mori in hoc mundo viliori & ignominiosiori morte, quæ unquam fuerit.

11. Sicut ventus dicit folia arboris ad quamcunque partem vult, ita, *Domine*, tua Humilitas fuit adeò magna in tua Morte,

te ,quòd Te permiseris duci à judæis ad quascunque pœnas & tormenta, quibus Te voluerunt torquere & occidere.

12. Cùm vilior mors , quæ possit esse, sit, quando homo occidit suum dominum, terrenum proditoriè sinè ulla causa ; & cùm Tu , *Domine* , sis adeò nobilis & honoratus Dominus , & falsi judæi Te occiderint & prodiderint injustè, quis est, qui sit mortuus tam vili & inhonoratâ morte, sicut Tu ?

13. e. *Gloriose Domine, amate super omnes amores, desiderate super omnia desideria!*  
 Si Rex vel Princeps moritur in prælio, & moriuntur cum eo multi suorum equitum, & occidunt multos suorum inimicorum, non est mors ignominiosa , imò est mors honorata; sed in tua Morte nullus tuorum Apostolorum nec ullus tuorum Discipulorum est mortuus, nec ullus eorum, qui Te occiderunt, fuit occisus : igitur , cùm Tu solus fueris occisus , per hoc tua Mors demonstratur magis ignominiosa & humiliis.

14. JESV

14. *J E S V Christe Domine!* Cúm Tu sis mortuus pro amore nostri viliori morte, quâ homo possit mori, habemus rationem moriendi pro amore Tui, & maximè , cùm mori pro Te, sit gloriosior & honoratior mors, quâ homo possit mori.

15. *Amoroſe Domine, plene Virtute & Gratiâ!* Quantò humilior fuit tua Passio, tantò fuit virtuosior & fructuosior: „igitur, cùm mea peccata me fecerint adeò vilem, non sum dignus mori adeò dignâ morte, sicut est mors Martyris.

16. f. *O splendor omnium splendorum! O Domine Directio omnium directionum!* Cùm humilitas inclinaverit tuum benedictum corpus ad moriendum , ut nos haberemus vitam; peto à Te gratiam, *Domine*, ut Misericordia Te faciat humiliare ad audiendum preces tui servi; & quamvis si un peccator, tamen non desinas exaudire meas orationes ; quia , si ego sum peccator, Tu es Remissor.

17. Omnes demus laudem & gloriam & honorem tuæ benedictæ Humilitati, *Domine,*

Q

*mine*, quæ in tua sancta Passione Te fecit sustinere flagella & colaphos & jactus lapidum & vulnera & ignominias & mortem, ut ipsa videretur in tua morte, sicut fuerat visa in tua vita.

18. Homines hujus mundi non sunt Tibi similes, *Domine*, in Humilitate; quia, sicut sunt superbi in sua vita, ita sunt superbi in sua morte in hoc, quod honoratè velint sepeliri.

19. g. *Domine sapiens, Domine magne, Domine large!* Sicut arbor, quæ est onerata fructibus, se inclinat versus terram ratione magni ponderis fructuum, qui sunt in ea, ita ratione magnæ abundantiarum Humilitatis, quæ est in Te, tuum Corpus fuit adeò humiliatum, quod post mortem fuerit possum sub terra.

20. Superbia facit aliquos homines divites in morte dividere suas divitias, ut sibi dent vanam gloriam, quando faciunt magna legata, & quando testamentum narrat divitias: unde benedictus sis, *Domine*, qui in tua Morte voluisti habere tantam pau-

paupertatem, quòd non reliqueris tuis Discipulis denarios nec possessiones nec thesauros, sicut faciunt homines superbi.

21. Non solum in morte non legasti, *Domine*, thesauros nec terras nec alias res, sed etiam fuisti adeò pauper, quòd volueris tuum Corpus non habere locum, in quo sepeliretur; & volueris tuum Corpus dari Josepho ab Arimathia, qui illud petiit à Pilato: quis igitur posset æstimare aliam Humilitatem similem huic?

22. h. *Vere Domine, misericors, pie!* Cúm Humilitas Te adeò humiliaverit, quòd Te fecerit mori viliori & angustiosiori morte, quæ possit esse; velles Te humiliare ad amandum unum hominem pauperem culpabilem peccatorem de vili loco natum, & pauperis potestatis?

23. In veritate, licet ita sit, quòd Humilitas, quam habuisti, *Domine*, fuerit valde magna, quando Tibi placuit mori pro nobis peccatoribus, non esset minor, si Tibi placeret amare adeò vilém hominem, sicut ego sum; quia Tu es adeò altus & honoratus

tus & nobilis Dominus , & ego sum adeo  
vilius & culpabilis & ingratus homo, quod  
Humilitas non posset esse major, quam es-  
set, si tam vilem hominem, sicut ego, ama-  
ret tam nobilis Dominus, sicut es Tu.

24. Igitur, quoniam voluisti, *Domine*,  
tuam humilitatem esse magnam in morte  
per hoc , quod morereris pro nobis pecca-  
toribus , placeat Tibi velle tuam Humili-  
tatem esse magnam in amando istum pau-  
perem peccatorem.

25. i. *Æterne Rex Gloræ, qui es Pater*  
*Dominus omnium rerum!* Tuæ gloriose Hu-  
militati cognoscatur Magnitudo & Virtus;  
nam mors, quæ homini evenit secundum  
cursum naturæ, non est mors, per quam sit  
humilis in sua morte : igitur , ut Tu, *Do-*  
*mine*, es es humilis per mortem , voluisti  
mori contra cursum naturæ.

26. *Domine D E V S*! Sicut homines  
religiosi se humiliant pro tuo amore in suis  
vestimentis & in suis verbis & in suis cibis  
& in suis operibus , sic esset rationabile,  
quod se humiliarent ad moriendum pro  
amore

amore Tui, & vellent suam mortem esse similem tuæ; nam, sicut Tu es mortuus per verbera & per vulnera, sic esset rationabile, quòd aliqui illorum morerentur simili morte.

27. Quoniam oportet hominem mori per cursum naturæ sive per febrim sive per dolorem sive per aposthema sive per aliam infirmitatem, quomodo potest esse, *Domine*, quòd non conetur mori pro tuo amore per vulnera vel per labores vel per aliam mortem, quæ non sit secundum operationem naturæ?

28. K. *Fortis Domine super omnes fortitudines, honorate super omnes honorationes!* Multitudo Humilitatis Te fecit humiliare ad esse venditum & ad esse clavis affixum cruci, & Te fecit elevari ad altum locum totum nudum, ut omnes Te videant mori.

29. Humilitas, *Domine*, Te fecit capi & judicari ad mortem, & propter humilitatem voluisti dimitti Barabbam, quem Pilatus volebat tradere morti, & dimittere Te:

Te: igitur , cùm Tu sis Creator Cœli & terræ unitus cum humana Carne, & Barabas fuerit homo viliis peccator , quis posset æstimare istam adeò magnam Humilitatem, quæ fuit in Te, quæ sustinuit vilem hominem priùs eripi à morte à judæis , quàm Tu, qui es eorum Dominus & eorum DEUS.

30. Sicut vas, in quo homo ponit omne, quod vult, ita, *Domine*, tuum benedictum Corpus fuit adeò humile in morte, quòd, quæcunque mala & quascunque pœnas judæi voluerint in eo ponere , voluerit sustinere: unde laudatus & benedictus sis ratione tuæ Humilitatis, & placeat Tibi in brevi tempore meum corpus superbum humiliari ad moriendum pro amore Tui, qui es suus Dominus & suus DEUS.

CAPUT

CAPUT XC.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS se humiliet homini per opera  
sacrificii.**

1. **O DEVIS,** Pater gloriose, plene Gra-  
a. **tia & Pietate!** Tuæ sanctæ Hu-  
miliati sit laus & gloria , quæ Te faciebat  
acceptare sacrificium sanctorum Prophe-  
tarum & sanctorum Patrum; nam sacri-  
ficium quod ipsi offerebant , non erat Tibi  
necessarium, sed Tu es adeò humilis, quòd  
nolles ipsum recusare.

2. Cúm Tu, *Domine DEVIS*, sis su-  
premium bonum & omnia alia bona sint  
sub Te , nulla oblatio nec ullum sacrifici-  
um, quod homo Tibi faciat, potest habere  
tantam dignitatem, quantam ad Te perti-  
net; sed, quia Tu es adeò humilis & totus  
dulcis & suavis, libenter & voluntariè sus-  
cipis omne id, quod homo Tibi vult dare  
& offerre.

3. Adeò humilis es, *Domine*, quòd  
parvo

248 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
parvo dono, quod homo Tibi offerat, pos-  
sit accedere ad tuum amorem & amiciti-  
am; sed non est ita de Regibus & Princi-  
pibus & altis Baronibus hujus mundi, quia  
adeò sunt superbi, quòd non velint ab ho-  
mine suscipere parva dona , imò reputent  
se contemptos , nisi eis dentur magna &  
nobilia dona.

4. b. *Desiderate Domine, grata, amoroſe,*  
*virtuofe*! Ratione magnæ Humilitatis, quæ  
est in Te , es contentus, quòd homo de  
fructibus, quos colligit, Tibi det decimam  
partem , & sibi retineat novem partes: un-  
de ista est magna Humilitas , quando Tibi  
placet, quòd homo Tibi det adeò parum,  
& sibi retineat adeò multum.

5. Multi sunt homines , *Domine*, qui,  
si habeant filiam vel filium habentem de-  
fecum in suis membris , libentiū ipsum  
Tibi dant & offerunt in aliqua Religione,  
quàm si haberet perfectionem membro-  
rum , & Tu es adeò humilis , quòd non  
contemnas suum donum , licet non esset  
dignum acceptari.

6. Tu,

6. Tu, Domine, es adeò humilis, quòd hominibus facientibus eleemosynam de vilioribus rebus, quas habent, & dantibus id, quo non indigent, non des repulsam: igitur, cùm Tu sis adeò nobilis Dominus, quòd merearis hominem Tibi dare de omnibus rebus, quæ sunt meliores, magna Humilitas est in Te, quando Tibi placet suscipere illas res, quæ Tibi non sunt necessariæ & nobis non causant indigentiam.

7. c. O JESU Christe Salvator noster! Benedicta sit, Domine, magna Humilitas, quæ est in Te; quia per abundantiam Humilitatis fecisti sacrificium tuæ sanctæ Deitati, quod fuit valde humile in hoc, quòd totam tuam Humanitatem obtuleris ad graves labores & ad graves dolores & ad gravem mortem, ut restaurares humanum genus, quod erat perditum.

8. Valde magna & mirabilis est Humilitas, quæ est in Te, Domine DEVS; quia, quantum ad Deitatem es valde humilis in hoc, quòd Tibi placuerit conjungere

gere Te nostræ humanæ naturæ, & quantum ad Humanitatem es valde humilis in hoc, quod eam volueris tradere ad gravem passionem pro amore tui populi: unde benedicta sit adeò magna Humilitas, sicut tua, quæ ita se monstrat perfectam in Te.

9. Si tua Humilitas, *Domine*, se monstrat adeò perfectam in Te, quod non possit esse major nec perfectior, superbia se monstrat magnam in nobis per multos modos; quia, sicut Humilitas fecit tradi tuum benedictum Corpus morti pro amore nostri; ita superbia facit tradi nostra corpora morti & labori, ut habeamus vanam gloriam imundanam.

10. d. *JE SV Christe Domine, qui es directio & restauratio fidelium Christianorum!*  
*H*umilitas Te fecit effundere totum tuum preciosum Sanguinem, ut acciperent vitam ab eo omnes, qui erant mortui per peccatum; & superbia prohibet divitibus, ne dent de aqua fontis pauperibus sitiensibus.

11. Humilitas, *Domine*, Te fecit facere sacrificium de tuo Corpore, ut esset Panis vitæ tuo populo, qui erat perditus; & superbia prohibet divitibus, ne velint dare de pane materiali pauperibus pro amore Tui potentibus.

12. Sicut Humilitas, *Domine*, Te fecit plorare & torqueri & mori, ita superbia facit homines superbos occidere & furari & decipere homines pauperes: unde lauderis & benedicaris, *Domine*, ratione tuæ magnæ Humilitatis, & nos vilipendamur & reprehendamur ratione nostræ magnæ superbiæ.

13. e. *O Singularis Domine, fortis super omnes fortitudines, nobilis super omnes nobilitates!* Humilitas Te fecit contemnere honorationes & delectationes & placita hujus mundi; sed superbia facit nos procurare honores & desiderare delectationes & felicitates hujus mundi.

14. *JE SV Christe Domine!* Sicut Humilitas fecit tuos quinque sensus corporales esse subditos quinque sensibus spirituilibus;

libus; ita superbia captivat & subdit nos-  
tros quinque sensus spirituales quinque sen-  
sibus corporalibus.

15. Quia Humilitas humiliavit, Do-  
mine, tuos sensus corporales spiritualibus,  
ideo, dum vixisti in hoc mundo, fuisti vi-  
lipensus & contemptus & malè tractatus,  
& in fine fuisti occisus: igitur, quia super-  
bia subdit sensus spirituales corporalibus  
in nobis, ideo sumus in hoc mundo in ma-  
jori honore, quam ad nos pertineat, & in  
morte honoramur multò plús, quam me-  
reamur.

16. f. Æterne Domine, infinite sine pari  
& socio! Sancta Humanitas, quam assump-  
fisti, est in tam magna Humilitate, quod  
velis, & ipsi placeat, per sanctitatem ver-  
borum Hostiam sanctificatam devenire in  
veram Carnem, & Vinum sanctificatum  
devenire in verum Sanguinem ipsius.

17. JESV Christe Domine! Tuum  
Corpus sanctificatum super Altare, & tuus  
Sanguis pretiosus sacratus per virtutem  
verborum præ magna Humilitate, quæ est  
in

in Te, se permittunt recipi à multis hominibus peccatoribus, qui non sunt digni manducare tuum Corpus, nec bibere tuum Sanguinem.

18. Fuit unquam, *Domine*, ullum mirabile, vel ulla Humilitas, quæ cum ista possit æstimari & comparari, quòd panis & vinum deveniant in tuam sanctam Humanitatem, quæ est unita cum Deitate, & quòd tuum Corpus adeò nobile se permittat manducari & tractari ab homine peccatore misero? ista est una de majoribus Humilitatibus, quæ possint cogitari & æstimari.

19. g. *JE SV Christe Domine!* Ratione tuæ magnæ Humilitatis vis, quòd tuum gloriosum Corpus & tuus gloriosus Sanguis præparentur in hoc mundo omni, homini qui eos velit recipere.

20. Non est ullus homo, *Domine*, quantumcunque proditor vel luxuriosus sit, & quodcunque vitium habeat, qui, si bono corde confiteatur, & ipsum bene pœnitentiat suorum peccatorum, non possit dig-

nè

nè suscipere tuum corpus: adeò es Tu in magna abundantia Humilitatis.

21. *JESV Christe Domine!* Quando tuum Corpus est sacrificatum super Altare, habeat tantam Humilitatem, quòd se permittat videri à peccatoribus, & vadat ad domos ad visitandum peccatores, ut eos mundet à suis gravibus peccatis, & ut eos mundet à suis fœditatibus, & ut eos sanet à suis gravibus infirmitatibus: igitur quænam Humilitas est similis isti, quòd Salvator velit esse adeò humilis, quòd eat visitare & sanare peccatores?

22. h. *JESV Christe Domine!* Tuum Corpus video se humiliare quotidie hominibus in hoc, quòd se sinat deferri ad eos, qui sunt res vivilis & misera, & se sinat transferri per vias immundas ad domos peccatorum, qui non sunt digni esse in præsentia ipsius.

23. Tuum gloriosum Corpus video, *Domine*, transferri per plateas, & per vias, quæ sunt plenæ gentibus, & non video ullum hominum relinquere sua negotia, &

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIX. Cap. XCII.* 255  
& sequi ipsum ad locum, ad quem vadit.

24. Humilitas, *Domine*, vult, quod tuum Corpus, quando est sanctificatum super Altare, non habeat formam nec saporem carnis, quamvis sit vera Caro: unde in tantum ipsum est humiliatum, quod non appareat in forma humana, quae est nobilior formâ panis & vini.

25. i. *Domine gloriose, juste, liberalis in omnibus bonis!* Sicut vasallus debet se humiliare suo domino omnibus modis humilitatis, ita tuum benedictum Corpus se humiliavit omnibus modis tuæ gloriofæ Deitati.

26. *JESV Christe Domine!* Sicut Tu per viam Humilitatis sacrificasti totam tuam Humanitatem Deitati, ita deberemus nos humiliare, quousque de toto nostro esse, & de omnibus, quæ possidemus, faciemus sacrificium & oblationem ad tuam laudem & honorationem.

27. „Tibi, *Domine DEVS*, offero „me & meam uxorem & meas proles & „omnia, quæ possideo; & quoniam adeò „Te

„Te humiliasti per opus sacrificii, placeat  
 „Tibi Te humiliare ad acceptandum om-  
 „nia, quæ Tibi do & offero, ut ego & mea  
 „uxor & meæ proles simus tui humiles  
 „servi.

28. K. O DEVS mirabilis, magne super  
 omnes magnitudines, honorate super omnes  
*honorationes*! Sicut Tu, Domine, debes ho-  
 norari & laudari ratione tuæ magnæ Hu-  
 militatis, ita ego debeo vilipendi & repre-  
 hendi ratione magnæ superbiæ, quæ fuit  
 in me; quia coram figura sanctæ Crucis,  
 quæ repræsentat Humilitatem, quam ha-  
 buisti, quando fecisti sacrificium humano  
 generi de tuo Corpore, multoties fui or-  
 natus nobilibus vestimentis, & feci de me  
 sacrificium dæmoni per opera peccati.

29. In præsentiam Crucis, quæ de-  
 monstrat, Domine, quòd Tu fueris potatus  
 felle & absynthio & aceto ad redimendum  
 tuum populum, veniunt fceminæ facie &  
 capillis & superciliis pictis, & ornatæ ve-  
 timentis & ornamentis deauratis; & quan-  
 do Tibi deberent facere sacrificium, faci-  
 unt

30. *Domine DEVS!* Cúm Tu sis totus Humilitas , & nos simus toti involuti in superbia, placeat Tibi dare tantam Humilitatem nostris cordibus , quòd simus pleni Humilitate, & superbia non habeat ullam potestatem in nobis, ut simus laudatores Tui, qui es noster Dominus DEUS.

## CAPUT XCII.

### *QVOMODO NOSTER DOMINVS DEVS se humiliet orationi hominum.*

1. **D**EVS gloriose, vere, complete omnibus bonis! Benedicta sit, Domine, tua sancta Humilitas & omne, quod tuum est; quia Tibi placet Te humiliare omnibus illis qui Te orant & precantur per primum motum; & illi, qui Te orant & precantur per secundum motum, non sunt digni, quòd Te humilie suis orationibus & precibus.

2. Gratiam à Te, peto, Domine DEVS,  
R ut

ut mihi concedas meas orationes semper procedere per primum motum, ut Te humilis ad exaudiendum eas ; & precor Te, ut, quoties orabo Te, me facias cognoscere, per quem motum procedant meæ precæs ; ut, si procedant per secundum motum, eas mutem ad primum.

3. Dum oro Te, *Domine*, precor Te, ut me facias cogitare in tua excellenti Bonitate & in mea magna fragilitate ; & placeat Tibi omnes meas orationes dirigere per viam virtutum , & ipsas esse in ploratibus & pœnitudinibus meorum peccatorum, & quoties oro , placeat Tibi implere meum cor amore & timore.

4. b. *O Domine sapiens, amoroſe, perfecte in omnibus bonis !* Omnibus orantibus Te primâ intentione veraciter es Tu, *Domine*, humilis & dulcis & suavis, & eos exaudis in omni, quod petunt : igitur beati sunt omnes, qui continuant suam orationem à principio usque ad finem tali intentione ; quia omnes suæ orationes & omnia sua verba sunt Tibi dulcia & placentia.

5. Homines superbi nolunt se humiliare precibus & petitionibus pauperum; sed Tu, *Domine*, es adeò humilis, quòd precibus divitum & pauperum & vilium & honoratorum velis Te humiliare & exaudire quæcunque à Te petant.

6. Homines superbi, *Domine Deus*, nolunt respondere precanti eos, nisi preceatur pulchris verbis, & quibus det eis magnam honorationem; sed non est ita de Te, quia es adeò plenus Humilitate, quòd, dummodo homo Te oret & precetur veris verbis & ordinatâ intentione, nullam vim facias in pulchritudine verborum, imò auscultes & exaudiás ipsum in omni, quod à Te petit.

7. c. *Juste Domine, Pater & complementum omnium bonorum!* Sicut homines superbi sunt superbi in suis factis, ita sunt superbi in suis orationibus, quia, quando Te orant & precantur, superbè hoc faciunt, cùm à Te petant vanas delectationes & honorem hujus mundi: unde, cùm illi superbè orent, & viles res à Te petant, non est

est rationabile Te exaudire superbas preces eorum.

8. Quando superbi homines, *Domine*, Te precantur, nec habent suum cor ad Te, nec ad id, quod à Te petunt, & conque-  
runtur de injuriis, quas ipsi faciunt mi-  
seris pauperibus ; sed non est ita de humi-  
libus pauperibus, quia ad tuam Bonitatem  
& ad suam miseriam habent suum cor,  
dum orant & precantur Te, & de defecti-  
bus & injuriis, quæ eis fiunt, se accusant  
apud Te tanquam culpabiles, & ideo exau-  
diuntur homines pauperes in suis orationi-  
bus, & superbi multiplicant in suis oratio-  
nibus perdurabiles labores.

9. Dignum est, *Domine*, Te non exau-  
dire homines superbos in suis precibus;  
qui, dum Te precantur, non faciunt nisi  
oscitare & dormitare, & pigrè & tepide  
dicunt, quidquid Tibi dicunt, & unum di-  
cit os & aliud cogitat cor.

10. d. *Domine magne, Domine liber, Do-*  
*mine nobilis!* Non est naturale orationem  
hominis superbi eum elevarc sursum, imò  
est

est naturale eum deprimere deorsum: unde, cùm ego sim de hominibus superbis, meæ orationes me non elevabunt sursum: igitur magnam Humilitatem faceres, *Domine*, si Te velles adeò humiliare, quòd descenderes ad me per tuam Humilitatem, quoniam superbia impedit ascensum meorum orationum.

11. Si ita sit, *Domine Deus*, quòd velis ad me accedere per Humilitatem, omnis homo potest esse securus de tua Humilitate, quòd poterit per eam venire ad Te, quoties velit; quia, qui meis verbis se humiliat ad exaudiendum ipsa, omnibus aliis se humiliabit, & omnia alia exaudiet & recipiet.

12. In bona spe possunt esse, *Domine*, omnes humiles Religiosi & sœculares, dummodo habeant justitiam & charitatem; quia, si Tu adeò magno peccatori, sicut ego sum, & adeò vili & misero homini Te humiliasti faciendo mihi multas gratias, & dando mihi multa, quæ petivi à Te, fatis reputo miserum omnem hominem, qui de tua

tua Misericordiâ desperat.

13. e. *O Domine DEVS, qui audis omnes, qui Te invocant, & das omnibus, qui ordinaté à Te petunt!* Adeò magna est tua Humilitas, quòd non sit ullus homo quantumcunque vilius & peccator & vitiosus, qui, quotiescunque velit, non possit esse tuus amicus & tuus familiaris & tuus benevolus.

14. *Domine DEVS!* Si homo vult ascendere in altos montes, non est ullus montium, qui se inclinet ad eum; & Tu, qui es altus super omnes montes, quando homo vult ascendere ad Te per orationem, statim Te inclinas ad eum, adeò plenus es Humilitate.

15. *O gloriose Domine!* Benedictus sis Tu, qui es adeò humilis, quòd non sit ullus homo quantumcunque velox ad orandum & precandum Te, cuius contemplatio sit in suo corde & oratio in suo ore priùs, quàm Tu sis humiliatus ad suas preces, dummodo sint tales, quòd sint Tibi acceptabiles.

16. f.

16. f. *Amabilis Domine, plene pietate & gratiâ!* Homines superbi, quando eunt ad orandum & precandum Te in Ecclesia, plûs sibi nocent, quâm prosint; quia falsâ intentione eunt & falsò Te orant & precantur.

17. Si Tu, *Domine DEVS*, es humilis, quia Te humilias orationibus hominum peccatorum, qui Te devotè orant, valde sunt superbi & audaces omnes, qui putant, quòd debeas Te humiliare suis superbis precibus.

18. *Domine DEVS!* Sicut ignorantia & superbia faciunt homines superbos audaces in precando Te pro rebus illicitis; ita tuus servus & tuus subditus excitatur & fit audax in precando Te & confidendo in Te ratione recordationis tuæ magnæ Humilitatis, quam sancta Crux ei repræsentat.

19. g. *Singularis Domine aeternæ, Pater omnium temporum!* Gloria & honor fiant *Domine DEVS*, tuæ magnæ Humilitati, quæ se humiliat ad exaudiendum omnia  
verba

verba vera, dummodo in se contineant  
amorem & pietatem.

20. *JESV Christe Domine!* Quando  
tua sancta Humanitas orabat in hoc mun-  
do cœlestem Patrem, tuum os dicebat hoc,  
quod tuum Cor cogitabat; & præ magna  
devotione tuæ animæ de tuis oculis decur-  
rebant lacrymæ, quibus plorabas nostra  
peccata.

21. *O JESV Christe, Dominus meus &*  
*DEVS meus!* Quoniam tuum benedictum  
Cor se humiliavit ad cogitandum oratio-  
nem, & tuum Os se humiliavit ad oratio-  
nem, & tui benedicti Oculi se humiliarunt  
ad plorandum propter fervorem orationis,  
peto à Te gratiam, ut Tibi placeat humi-  
liare tuas aures ad audiendum preces tui  
servi & tui subditi.

h. *O Domine DEVIS, qui promittis*  
*gloriam & benedictionem omnibus aman-*  
*ibus Te!* Quando tua sancta Humanit-  
as precabatur Deitatem, non precabatur  
eam propter ullum peccatum nec propter  
ullam necessitatem, quæ esset in Te; sed,  
quando

quando ego Te precor, & Te oro, plús est  
meum cor in meis necessitatibus, quàm in  
tuis honorificentiis; & propterea mea oratio  
non est ordinata, ut exaudias meas preces.

23. Nam non Te precor, *Domine*,  
modo, quo debeam exaudiri; quia plús at-  
tendo ad meos defectus, quàm ad tuas per-  
fectiones: igitur, ut meæ preces exaudian-  
tur, imposterum semper mea prima inten-  
tio erit in precando Te, quomodo possim  
dare laudem & honorem de tua sancta Pas-  
sione apud illos, qui eam ignorant.

24. Mea oratio, *Domine*, non debet  
esse talis, quòd petam à Te honorem in  
hoc mundo nec in alio; quia sum adeò cul-  
pabilis & vialis, quòd nec in hoc mundo  
nec in alio merear ullum bonum nec ul-  
lum honorem: igitur omnis mea oratio de-  
bet esse directa ad hoc, ut possim esse tuus  
laudator; quoniam laudando Te pervenit  
homo ad perdurablem beatitudinem.

25. i. *Sanctificate Domine, virtuose, glo-*  
*rioſe!* Reges & Principes & alti Barones  
hujus mundi rogantur tanquam Domini,  
quamvis

quamvis non sint, nisi tui procuratores:  
igitur, cùm Tu sis Dominus super eos, oportet hominem habere selectum modum in precando Te, & oporteret illum modum esse nobiliorem & meliorem modo, quo precatur terrenos dominos.

26. Adeò sumus ignari & superbi, *Domine*, quòd majores sint nostræ preces & orationes, ut nobis des de bonis temporalibus futuris, quàm sint gratiæ, quas Tibi facimus propter illa, quæ nobis dedisti: igitur, quando non Te humilias ad omne, quod petimus, nos ipsi habemus culpam, quia adeò magnæ deberent esse nostræ gratitudines sicut petitiones, quas Tibi facimus pro bonis temporalibus.

27. Qui in oratione vult figere suum cor, & ipsum tenere in hoc, quod à Te petit, inquirat, *Domine*, novas rationes, & extrahat de se ipso materiam laudandi & precandi Te; & sic poterit melius suum cor constringere in contemplando Te, quàm faceret, si continuò oraret unâ oratione, quia, quando homo continuat unam orationem,

*Vol. I. Lib. II. Dist. XIX. Cap. XCII.* 267  
tionem, os dicit unum, & cor imaginatur  
aliud.

28. K. *Beate Domine, humilis, abundans  
omnibus bonis!* Qui volunt, quòd Te hu-  
milies ad suas orationes, caveant sibi, ne Te  
orent superbis verbis, & ne excusent suos  
defectus, immò sua verba sint humilia, &  
suum cor timidum & pœnitens peccato-  
rum, quæ cogitavit & tractavit.

29. Homines superbi, *Domine*, Te pre-  
cantur, ut facias pro amore sui tales res,  
quales ipsi non facerent pro amore Tui, si  
eos precareris; & consumunt multum tein-  
pus in suis vanis delectationibus, & parum  
in laudando & benedicendo Te: igitur se-  
cundūm hoc non est mirum, si Te non  
humilies suis orationibus.

30. Tuus servus, *Domine DEVS*, &  
tuus subditus agit Tibi multas gratias in  
præsentia tui benedicti Altaris & tuæ præ-  
tiosæ Crucis, quia ei fecisti gratiam addu-  
cendi ad perfectionem istam Distinctionem,  
& petit à Te, ut ei des gratiam, quâ possit  
perficere omnes alias Distinctiones futuras  
ad gloriam & laudem sui Domini DEI.


## DISTINCT. XX.

DE MAGNA MISERICORDIA  
divina.

## CAPUT XCIII.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS sit misericors ratione sue magna  
Bonitatis.**

i.  
a.



**DEVIS pie, benigne, amoroſe, glorioſe ! Tuꝝ ſanctæ Mifericordiæ, Domine, ſit gloria & honor & benedictio ſemper ; quia ratione altæ natu- ræ & nobilis Bonitatis ,**

**quæ eſt in Te, oportet eſſe in Te perfec- tam Mifericordiam.**

2. Cúm Mifericordia, Domine DEVIS , ſit res valde nobilis & valde bona in ſc ipsa, & Tu ſis ſuprema Bonitas ſinè ullo defectu,

defectu, oportet necessariò Misericordiam esse in Te, quia sínè ipsa non posset esse perfecta tua magna Bonitas.

3. Benedicta sit, *Domine DEVS*, tua magna Misericordia & tua magna Bonitas ; quia ratione tuæ Misericordiæ habet complementum omnis boni tua Bonitas, & ratione tuæ magnæ Bonitatis est in Te perfectio Misericordiæ.

4. b. Magnitudo & honorificentia & dominium cognoscantur in Te, *Domine DEVS*, qui es infinita Bonitas ; &, si ita esset, quòd Misericordia non esset in Te, oporteret tuam Bonitatem esse terminatam , in quantum Misericordia in ea deficeret : igitur, cùm tua Bonitas sit sínè fine, de necessitate convenit Misericordiam esse in ea.

5. Sicut tua gloria Bonitas, *Domine DEVS*, est infinita, ita oportet tuam benedictam Misericordiam esse infinitam ; &, quia tua Misericordia est sínè fine, ideo gloria beatorum, qui erunt in paradyso, non habebit finem.

6. Magno

6. Magno placito & magnâ devotione ,  
 & magno fervore debemus , *Domine* , om-  
 nes communiter facere reverentiam & ho-  
 norem tuæ magnæ Misericordiæ ; quia ra-  
 tione suæ magnæ magnitudinis gloria para-  
 disi est perdurable , & est gloria finè fine  
 & inæstimabilis .

7. c. *O Domine DEVS* , qui provides  
*omnia* ! *O Rex gloriæ* , qui remittis omnes cul-  
 pas ! Quia tua Bonitas meretur cognosci  
 in perpetuum , ideo tua Misericordia voluit  
 dare esse humanum hominibus , ut sint cog-  
 nitores & laudatores ipsius .

8. Unde benedicta sit , *Domine* , tua  
 Bonitas , eoquòd est digna , ut cognoscatur  
 & laudetur , & ei serviatur ; quoniam per  
 hanc dignitatem , quam ipsa habet , magna  
 felicitas venit hominibus in hoc , quòd eis  
 fiat Misericordia de cœlesti gloria , in qua  
 tuam Bonitatem cognoscant & laudent ,  
 serviant & ament .

9. *Domine DEVS* ! Sicut ad tuam Bo-  
 nitatem pertinet habere in se omnem Po-  
 testatem & omnem Sapientiam & Justitiam  
 &

& Largitatem & omnem Virtutem, ita Misericordia est adeò alta Virtus & alta Nobilitas, quòd, sicut illæ merentur esse in tua Bonitate, sic ipsa mereatur esse in ea.

10. d. *Glorioso Deus, qui visitas orphanos & tribulatos, & eos vivificas in spe tuæ Misericordiæ!* Sicut tua divina Substancia est in esse divino ratione tuæ Potestatis & Sapientiæ & Justitiæ, ita est in eo ratione tuæ Misericordiæ.

11. Si omnes virtutes non essent in Te, *Domine*, vel in Te non essent perfectæ, tuum esse non esset dignum esse divinum: igitur sicut tuum esse est perfectum per alias tuas virtutes, ita convenit ipsum esse perfectum per tuam Misericordiam.

12. Unde propterea oportet, quòd tua Misericordia, *Domine*, sit in Te essentialis & non accidentalis; quia si esset accidentalis in Te, sicut est in nobis, non esses perfectus illâ perfectione, quæ ad Te pertinet.

13, e. *Cælestis Domine gratiose, amoroſe,*  
*be-*

*benigne!* Adeò nobilis res est tua Misericordia , quòd ego non sim dignus eam à Te petere, quia sum res vili & culpabilis & plena peccato ; sed Tu, *Domine*, es adeò nobilis & bonus & plenus omni bono, quòd secundum tuam Bonitatem & Perfectiō nem conveniat Te uti in me Misericordiā & Pietate.

14. Principalis ratio, *Domine DEVS*, quare precor Te, ut miserearis mei, est, ut mihi des gratiam Te honorandi & amandi, & Tibi serviendi, quia sic decet secundum tuam magnam Bonitatem.

15. *Honorate Domine!* Quando ego à Te peto Misericordiam, ut Tibi polsim servire, non audeo eam à Te petere intuitu mearum magnarum necessitatum: igitur quæ causa & quæ ratio poterit Te detinere ne miserearis mei , quoniam ita Misericordiam peto à Te?

16. f. *Domine amate , Domine honorate , Domine sapiens , Domine humilis!* Tuus servus & tuus subditus petit gratiam à Te, ut ei facias Misericordiam, quo usque sua in-

intentio sit semper vera & ordinata in omni, quod faciet & dicet.

17. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis perfectus in tota tua Essentia & in omnibus tuis operibus, & tua Misericordia sit per Te totum & per omnia tua opera, peto à Te gratiam, ut meam intentionem perficias & illumines tuâ Misericordiâ tali modo, quòd tota mea intentio sit directa per ipsam.

18. Quoniam Tu, *Domine DEVS*, es adeò plenus Misericordiâ, quòd possis misereri & tuam Misericordiam effundere super tuum populum plús, quàm ipse possit recipere, magnam rationem habes multum miserendi ipsius.

19. g. *Gratiose Domine, benigne, amorose, plene omnibus bonis!* Sicut tuo populo demonstrasti tuam Misericordiam esse magnam in magnis donis, quæ ei dedisti, ita ei demonstras ipsam esse magnam in magnis culpis, quas ei remittis: igitur, sicut mihi fuisti misericors iu multis donis, quæ mihi dedisti, ita precor Te, ut mihi sis misericors in multis culpis, quas mihi remittas.

mittas.

20. Sicut radii solis non conspurcantur nec foedantur, quamvis transeant per sterquilinia & per immundas vias; ita, *Domine*, quamvis ego sim res foeda & immunda per peccata, tamen, si me respicias tuis misericordibus oculis, ipsi non foedabuntur in me, sed ego mundabor in ipsis.

21. Si sol extendit suos radios super planities & montes & colles & valles ratione suæ magnæ magnitudinis & supremæ altitudinis, tua Misericordia, *Domine*, quæ est alta super omnes altitudines & est magna super omnes magnitudines, quamvis sim parvificatus & vilificatus per culpam & per naturam, tamen non desistat venire super me & respicere in me.

22. h. O *Domine DEVS*, qui beatificas beatos! O *Domine DEVS*, qui das gratiam & benedictionem tuis benevolis! Sicut magnus ignis non potest consumi nec deleri per modicam aquam, ita mea peccata & meæ culpæ non poterunt deleri nec consumi sinè magna Pietate & Misericordia,

quam

quam habeas erga me.

23. Sicut homo, qui est valde calefactus à calore solis, properat, quantum potest, ad umbram arboris, ita ego, *Domine*, qui sum valde calefactus in operibus peccati, vado obumbrari ad arborem sanctæ Crucis, quæ est tota plena foliis & floribus & fructibus & ramis & branchis operum Misericordiæ.

24. *Domine Deus!* Si cervus, qui est res bestialis, habeat tantam sapientiam, quando est venenatus à serpente, quem comedit, quod currat ad aquam, ut cum ipsa sibi succurrat contra venenum; stultus essem ego, *Domine*, nisi citò recurrerem ad tuam magnam Misericordiam, ut me sanet à meis gravibus peccatis, quæ fœdaverunt meam animam & corruerunt meum corpus.

25. i. *O Domine misericors, liberalis in omnibus bonis!* Si ita sit, quod sim scriptus in libro damnationis ratione meorum mortaliū defectuum, peto à Te gratiam, ut scribas meam sententiam calamo Misericordiæ

276 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
cordiæ tincto in tuo pretioso Sanguine,  
quem effudisti ad restaurandum humanum  
genus; quoniam tali calamo & tali atra-  
mento fuit scripta in mundo tua Passio &  
tua angustiosa Mors.

26. Sicut navis, quæ periclitatur in  
mari per tempestatem, & attendit, quan-  
tum potest, ad portum salutis; ita ego,  
*Domine*, qui in hoc mundo periclitor per  
opera peccati, attendo ad tuam Misericor-  
diam, quæ est portus salutis, in quo pecca-  
tores inveniunt remedium in suis tribula-  
tionibus & in suis angustiis.

27. O *Domine gloriose!* Veniat Tibi in  
placitum & in gratiam, quòd, sicut piscis,  
qui est totus submersus in aqua, & aqua  
continet ipsum totum intra se ipsam, ita  
ego sim totus involutus & circumdatus à  
tua benedicta Misericordia, ne tua Senten-  
tia me puniat ratione meorum mortalium  
defectuum in igne perdurabili.

28. K. *Misericors Domine, humilis, dul-*  
*cis & suavis, plene dulcedine & gratiâ!* Si  
nullum corpus potest esse sine forma, &  
nullum

nullum accidens sinè subjecto, mea salus & mea beatitudo non potest esse sinè tua Misericordia; quia nulla alia res est, quæ me posset sanare à meis mortalibus peccatis & à meis gravibus & magnis culpis.

29. *O Domine Deus!* Adeò benedicta res est tua Misericordia, & adeò est mihi necessaria, quòd ad nullam aliam rem attendam, nec in ulla alia sperem; & dummodo possim memorare tuam Misericordiam, & possim beneficiari ab ea, omnes alias res possum leviter transire & contemnere, & pro nihilo reputabo nullam habere.

30. Gloria & Virtus & Benedictio & Sanctitas sint, *Domine Deus*, tuæ magnæ Misericordiæ, & benedicti sunt omnes, qui eam petunt & querunt; & omnia, quæ sunt occasio homini ad consequendum ipsam, sunt benedicta & laudata & amata & culta; & omnes, qui sunt laudatores & servi tuæ excellentis Misericordiæ, habent rationem, quare debeant lætari & consolari in tua Misericordia divina.

CAPUT

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS** sit misericors ratione precum, quæ  
ei fiunt.

1. **O DEVS** misericors, gloriose, abundans  
dans omnibus bonis ! Omnes debe-  
mus lætari, *Domine*, in tua magna Misericordia, quæ est rogata à tua sancta Humanitate, quæ rogit pro nobis peccatoribus : unde, cùm tua Humanitas roget Deitatem repræsentando famem & sitim & laborem & mortem, quam sustinuit pro nobis, securi possumus esse, quòd habebimus tuam benedictam Misericordiam.

2. *Domine JESU Christe* ! Cùm tua gloriosa Mater nostra Domina sancta MARIA, quæ est Regina cœli & terræ, Te precetur, ut miserearis nostri peccatorum, magnam rationem habes exaudiendi suas preces, & nos magnam rationem habemus confidendi in eis.

3. Angeli, *Domine*, non cessant petere gra-

gratiam, & Te precari, ut miserearis tui populi: igitur, cùm Tu sis rogatus ita nobiliter & honoratè , dignum est, ut exaudias eos, qui Te rogan.

4. b. *Domine laudate , Domine amate, Domine volite, Domine honorate!* Prophetæ & Apostoli & Martyres non faciunt nocte & die nisi petere gratiam à Te , ut miserearis tui populi: igitur, cùm ipsi in hoc mundo sustinuerint multas tribulationes pro amore Tui, ratio est, ut eos exaudias.

5. *Gloriose Domine!* Omnes Confessores & omnes Sancti & Sanctæ paradisi Te precantur pro nobis, in quantum possunt: igitur, cùm ipsi sustinuerint in hoc mundo multos labores & multam paupertatem & multas angustias pro tuo amore , placeat Tibi Te inclinare ad audiendum omne id, pro quo Te precantur.

6. In hoc mundo Te precantur , *Domine*, multi Religiosi & multæ Religiosæ & multi viri & multæ fœminæ die & nocte; & preces , quas Tibi faciunt , sunt pro Misericordia, quam à Te petunt: igitur, cùm tot

tot preces Tibi fiant in hoc mundo & in altero, expedit, ut respicias tuum populum tuis oculis plenis Misericordiâ.

7. c. *O Domine fortis super omnes fortitudines! O Domine magne super omnes magnitudines! O Domine alte super omnes altitudes!* Preces, quas Tibi facimus, sunt, ut nobis des gratiam Te amandi & honorandi & laudandi & Tibi serviendi ex toto nostro corde & ex omnibus nostris viribus: igitur, cum tales preces sint justæ & rationabiles, oportet Te habere tantam Humilitatem, quod Te humilies ad habendum Misericordiam de nobis, qui Te precamur pro re, quæ est ad gloriam & honorem tui beati esse.

8. Quando homo, *Domine*, rogat taliter, quod roget, sicut debet, & ille, qui ~~rogatur~~, rogatur, sicut ad eum pertinet, tunc preces sunt tales, quod per se debeant exaudiri: igitur, cum nos Te precemur, sicut debemus, quoniam à Te petimus gratiam, ut Te amemus & honoremus, & Tu debeas rogari isto modo, est rationale, quod

quòd nos exaudias in nostris precibus.

9. *O Domine amoroſe, benigne!* Sicut Tibi ſoli conuenit eſſe Creatorem & Redemptorem & Salvatorem, ita nobis conuenit Te precari, & à Te petere gratiam, & Tibi conuenit mifereri nostri peccatorum.

10. d. Reverentia & dominium & honor habeantur Tibi, *Domine DEVS*, qui habes placitum, quando homines Te precantur devoto corde & plorantibus oculis & ordinatâ intentione, quia decet tales preces fieri Tibi, & tales preces ſunt dignæ exaudiri à Te.

11. *JE SV Christe Domine!* Tu orasti in sancta Cruce devoto & inamorato Corde & orasti in ea ploratibus & lacrymis & effuſione Sanguinis & aquæ: quare fuit dignum preces, quas fecisti pro tuo populo, exaudiri.

12. Cúm Tu, *Domine*, oraveris in sancta Cruce adeò humiliter & devotè & adeò gravibus laboribus & angustiosâ morte, tuus servus Te precatur plorando, quām

hu-

humiliter potest, ut ei facias tantam Misericordiam, quòd pro tuo amore eat anxius & plorans dando laudem de tua sancta Passione angustiosa.

13. e. *Juste Domine, pie erga nos!* Cúm tuus captivus & subditus sciat Te misertum fuisse multoties multorum hominum peccatorum, Te precatur meliori modo, quo potest, ut miserearis ipsius, sicut misertus es aliorum; quia adeò est ei necessaria tua Misericordia, sicut cuilibet alteri, cùm adeò magnus peccator sit, sicut quilibet aliis, & æquè sit tua creatura, sicut alii.

14. *Domine DEVS!* Quia ego scio Tibi placere, quòd homo à Te petat Misericordiam, ideo audeo eam à Te petere; sed, si scirem Tibi non placere, non eam peterem; quia nullas preces debet homo Tibi facere, quæ sint contrariæ tuæ Voluntati & tuo placito.

15. Preces, quas ego Tibi, *Domine*, facio quotidie, non sint Tibi molestæ; quia mihi est necessarium Te precari & Te orare

*Vol. I. Lib. II. Dist. XX. Cap. XCIV.* 283  
re & ad Te clamare, & justum est Te ro-  
gari , & ego sum obligatus ad rogandum  
Te , & ad petendum Misericordiam à Te  
omnibus diebus meæ vitæ.

16. f. *O D E V S magne, mirabilis, humi-  
lis, virtuose!* Ad tuam Bonitatem & ad tu-  
am Nobilitatem pertinet, quòd homo à Te  
petat Misericordiam, & confidat in tua Mi-  
sericordia : igitur, quoniam ita est, omnes  
habemus rationem & obligationem petendi  
à Te Misericordiam , & confidendi in tua  
Misericordia.

17. Unde, quia nos, *Domine* , facimus  
id , quod debemus , quoties Te precamur,  
ut nobis des gratiam, & quoties confidimus  
in tua Misericordia, rationabile est Te nos-  
tri misereri, quoniam ad Te pertinet mi-  
sereri.

18. *Domine vere D E V S!* Quia tibi  
placet , quòd homo à Te petat Misericor-  
diam, ideo eam à Te peto; & eam peto, ut  
des gratiam contemplationis hominibus  
justis, „ ut calefiant in tuo amore, & eant  
„ad docendum sanctam Fidem Romanam  
„apud

, apud infideles, qui vadunt in ignem per-  
, durabilem per defectum Doctorum.

19. g. *Domine DEVS, qui beneficias & illuminas fideles Christianos in via veritatis!* Tuus servus filius tuæ ancillæ à Te peto gratiam, ut mihi facias Misericordiam contemplandi in tua magna Bonitate, & memorandi mea peccata & meam vilitatem, quia ita pervenit homo ad gloriosam beatitudinem.

20. *O placens Domine, plene gratiâ!* Tuus captivus & tuus homo Te oro & precor, ut ponas tuam Misericordiam inter me & tuam Justitiam, ne tua Justitia veniat super me, & me puniat in igne perdurabili.

21. *Tu, Domine DEVS, qui mihi fecisti Misericordiam de meo esse in hoc, quod ipsum mihi dederis, habes rationem faciendi mihi Misericordiam, ut in hoc sæculo cum toto meo esse sim servus & laudator tuæ gloriose Deitatis & tuæ benedictæ Humanitatis ; , & placeat Tibi, ut, quando transeam ex hoc sæculo in aliud,*  
,trans-

,,transeam per viam Martyrii.

22. h. *Domine DEVS, qui es Ordinator & Factor omnium bonorum!* Si ego Tibi multiplicem preces & multa verba nocte & die, ut mei miserearis, non sit Tibi molestum nec grave; quia ad tuam Nobilitatem pertinet, quod homo multoties eam precetur, & mihi est necessarium die & nocte à Te petere Misericordiam.

23. Tam graves sunt, *Domine*, meæ culpæ, & tam magna sunt mea peccata, quod non possim me continere à petendo & precando tuam Misericordiam, ut me sanet & alleviet à meis peccatis, quæ mihi sunt mortales inimici.

24. Sicut in mense martio æquantur & inæquantur dies & nox, ita, *Domine*, tota nostra beatitudo stat in tua Misericordia; quia, si miserearis nostri, sumus beati, &, si non miserearis nostri, sumus expulsi à tua beatitudine.

25. i. *Domine sancte, Domine nobilis, Domine perfecte & complete in omnibus rebus!* Benedicta sit tua Misericordia & omne,

286 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
ne , quod tuum est; nam sicut columna  
sustinet domum, ita tua Misericordia sus-  
tinet meum *esse*; & sicut domus destrui-  
tur, quando prosternitur columna, in qua  
sustentatur, ita, si Tu auferas tuam Mise-  
ricordiam à me, tua Justitia destruet me ra-  
tione meorum gravium peccatorum.

26. O Rex gloriae, pie, plene gratia!  
Si homines divites habent misericordiam  
erga pauperes, quando pauperes eos pre-  
cantur ploribus & lacrymis & devotione,  
placeat Tibi, Domine, qui es dives super  
omnes divitias, erga me habere Misericor-  
diam, quoniam plorando ante tuum bene-  
dictum Altare eam à Te peto.

27. Domine : Licet pauperes multoties  
fatigati sint in me, & ego non exaudiverim  
precios, quas mihi faciebant pro amore Tui,  
tamen non velis me fatigari in precibus,  
quas Tibi facio ; nam, quoniam vis esse  
misericors, non debes repellere me, quam-  
vis non misertus fuerim pauperum , quia  
non debes dare malum pro malo, nec tuas  
Perfectiones debes comparare meis defec-  
tibus.

tibus.

28. K. *O Domine DEVS, qui es Salvator & Benefactor noster! Sanctitas & Gloria & Honor dentur tuæ honoratæ Misericordiæ; quia totus meus thesaurus & totum meum capitale & tota mea spes & totum meum bonum stat in ea: igitur, quoniam tota mea beatitudo stat in tua Misericordia, precor Te, Domine, ut me dirigas & ponas in tali via, quod possim venire ad ipsam, quæ est Mater & Domina meæ salutis.*

29. *Licet meæ preces, Domine, non sufficient ad precandum Te, nec ego sim dignus à Te exaudiri, tamen sufficiat tua Misericordia; quia, quod plús deficiunt meæ preces, & quod plús ego sum indignus exaudiri, si miserearis mei, eò major demonstrabitur tua Misericordia.*

30. *Domine DEVS amoroſe! Ut possum me parare & dirigere & ordinare, ut sciam Te precari & amare & honorare & laudare & Tibi servire, „ precor Te, ut „prolonges meos dies, quo usque exaudiar , à*

CAPUT XCV.

**QVOMODO NOSTER DOMI-**  
*nus DEVIS sit misericors ratione nostrarum  
magnarum necessitatum.*

1. **O** *DEVIS gloriose, nobilis super omnes honores, honorate super omnes valores!* Laudatus sis Tu & benedicta sit tua magna Misericordia; quia, sicut noster defectus & nostra miseria nobis dant naturam & proprietatem procedendi in nostris operibus per cursum secundi motus, ita, *Domine DEVIS*, tua Misericordia dat nobis naturam & proprietatem procedendi in eis per cursum primi motus.

2. *Nisi esset tua magna Misericordia, Domine DEVIS, nullus homo faceret unquam nisi malum; quia adeò fragilis est homo, quòd nihil aliud faceret nisi errare & delinquere; sed tua Misericordia succurrit & auxiliatur nostræ miseræ, & dat nobis*

nobis proprietatem & naturam per gratiam,  
ut faciamus bona opera.

3. Sicut peccatores, *Domine DEVS*,  
faciunt mala opera, quia sequuntur suam  
fragilem naturam; ita homines justi fa-  
ciunt bona opera, quia participant cum  
tua benigna Misericordia.

4. b. *Domine sapiens, Domine juste, Do-*  
*mine potens!* Si tu es totus plenus & per-  
fectus in Virtute & Bonitate, nos sumus  
pleni & cooperti defectibus & indigentiis  
& miseriis.

5. Igitur ratione tuorum magnorum  
bonorum & tuarum nobilium perfectionum  
convenit, *Domine*, quòd miserearis nostri,  
in quibus sunt conjuncti omnes defectus &  
omnes fragilitates & omnes paupertates &  
omnia peccata.

6. Benedictus sis, *Domine DEVS*,  
quia omnimodè demonstratur nobis tua  
Misericordia; quoniam ratione tux Boni-  
tatis oportet ipsam esse in Te, & ratione  
nostrorum peccatorum & defectuum opor-  
tet ipsam habere exercitium in nobis.

7. c. O Domine sancte! O Domine Salvator & Redemptor noster! Ratione nostrorum defectuum sunt in nobis accidentaliter accidentia, quæ omnia sunt in defectibus & in miseria & paupertate; nam, quia nostra natura est pauper & misera, ideo sunt in nobis fames & sitis & calor & frigus & angustiæ & dolores & mors.

8. Unde, cùm nos ita malè tractemur à nostris met defectibus rationabile est, Domine, quòd tua magna Misericordia succurrat nostris angustiis & nostris tribulationibus; quia sinè ipsa non possemus eas sustinere.

9. Si tua Misericordia, Domine, non adjuvaret nos, non esset, qui nos adjuvaret; quia non possemus adjuvari à nobis contra nostras met fragilitates, cùm nos simus nostramet miseria; & quocunque eamus & ubicunque simus, sit semper nobiscum & in nobis nostra miseria & nostra paupertas & noster defectus.

10. d. Gloriose Domine, perdurabilis, Refugium & Spes nostra! Omnes quotquot sumus,

mus, sumus pleni defectibus, & sumus inimici ad invicem, & omnes sumus tentati & afflitti à dæmone, & omnes habemus parum sensus & virtutis in nobis met ipsis, & unusquisque est inimicus & malevolus sui ipsius.

III. *Domine Deus!* Cúm nos simus in tot necessitatibus & tribulationibus, nullum aliud consilium habemus, quām confidere in Te, ut nobis de cœlo mittas tuam Misericordiam, quæ nos adjuvet in omnibus nostris laboribus & in omnibus nostris necessitatibus.

12. Si tua Misericordia, *Domine*, non citò veniat super nos, omnes sumus perditæ & omnes peribimus in nostris fragilitatibus & miseriis; quia nulla alia res habet proprietatem nec virtutem nec naturam adjuvandi nos & succurendi nobis nisi tua Misericordia tantum.

13. e. O singularis *Domine amoroſe*, pie, dulcis & ſimplex & ſuavis! Qui Te perdit, ſe ipsum & quidquid habet, perdit & nihil ei remanet: igitur, cùm ego, *Domine*,

mul-

multoties Te perdiderim propter vanitatem hujus mundi, non est ulla res, quæ mihi possit reddere id, quod perdidi, nisi tua Misericordia tantum.

14. Unde, cùm ego sim ita pauper & miser & tantum perdiderim, & meæ culpæ sint tot & adeò magnæ, bene vides, *Domine*, quòd valdè indigeam tuâ Misericordiâ, & bene scis, quòd sinè ipsa nihil sim.

15. Cùm tua Misericordia, *Domine*, sit super omnia, quæcunque sunt creata & facta, & omnia comprehendantur intra ipsum, & ego sim parva creatura, cui ipsa est adeò necessaria, quomodo posset esse, quòd non miserereris tam pauperis peccatoris, sicut ego sum? nullatenus possum cogitare, *Domine*, quòd velis mei oblivisci in tuâ Misericordiâ.

16. f. Benedicta sit, *Domine Deus*, tua magna Misericordia, quæ voluit conjungere tuam Deitatem cum humana natura, ut succurreret & auxiliaretur nostris fragilitatibus & nostris miseriis.

17. *Domine*

17. *Domine DEVS!* Si tua Misericordia Te fecit descendere de cœlo in terram, & fecit aperiri tuas carnes clavis, qui intrarunt in tuum Corpus, peto à Te gratiam, ut ipsa me faciat ascendere in cœlos, & mihi aperiat portam paradisi, in quo videtur tua benedicta præsentia.

18. *O Domine!* Si tua Misericordia non elevet nos in cœlos & aperiat nobis portas paradisi, nulla alia res extrahet nos ab indigentia: igitur, quoniam in Te est tanta Misericordia, placeat Tibi, quòd non simus indigentes per defectum ipsius.

19. g. *O Domine DEVS,* á quo descendunt & veniunt omnia bona & omnes virtutes, & in quo inveniuntur omnes gratiæ & indulgentiæ! Sicut tua Justitia justè minuit & parvificavit totam naturam humanam in tempore diluvii in hoc, quòd tota perierit præter illos, qui fuerunt in arca Noe; ita tua Misericordia exaltavit & nobilitavit totam ipsam in glorioso Utero gloriae Virginis nostræ Dominæ sanctæ MARIAE.

20. *Amoroſe*

20. *Amoroſe Domine pie! Sicut tua Miſericordia effudit totum Sanguinem tui Corporis & totam aquam tuorum oculorum, ita à Te peto gratiam, ut ipsa effundat pro tuo amore totum sanguinem mei corporis & totam aquam meorum oculorum.*

21. *Si mei defectus & meæ paupertates conspurcaverunt meum corpus & meam animam, tua Misericordia, Domine, potest mundare me totum à vitiis & peccatis.*

22. h. *Domine DEVS, qui es unus in Trinitate & tres Personæ in Vnitate! Sicut navis perit in mari ratione tempestatis maris & venti, ita quotidie puto perire in mea fragilitate & in mea miseria ratione magnorum defectuum, qui sunt in me: unde, sicut navis indiget tranquillitate maris & venti, ita ego indigeo tuâ Misericordiâ, ut me adjuvet, ne peream in meis defectibus.*

23. *Omnes mei defectus, Domine, sunt contra me, & omnes sunt ad meum dampnum & ad meam destructionem & ad meam*

am mortem; & non habeo ullam rem, quæ  
me adjuvet, & à qua petam consilium &  
adjutorium, nisi à tua Misericordia , quia  
à nulla alia re potest mihi venire bonum,  
nisi ab ea.

24. *O Domine misericors, pie ! Quoniam  
mei defectus mihi sunt contrarii & mihi  
sunt adeò inimici, & ego sum vixus & su-  
peratus ab eis, placeat tuæ piæ Misericor-  
diæ me adjuvare: & adjutorium, quod ego  
peto ab ea, est, ut me faciat Te amare &  
laudare & honorare, & Tibi servire ex  
omni mea mente & ex omnibus meis vi-  
ribus.*

25. *Domine D E V S, qui es Amator om-  
nium bonorum , & qui remittis omne, quod  
vis ! Tu scis , quòd tua Misericordia fuerit  
principium mei esse ; quia, nisi ipsa mihi  
dedisset esse , ipsum non haberem: igitur,  
quoniam ipsa mihi dedit esse, precor Te, ut  
placeat ei esse mea mater & mea amica &  
esse mihi causa, ut perveniam ad tuam Glo-  
riam & Benedictionem.*

26. *Domine liber, plene dulcedine &  
pie-*

*pietate!* Quoniam meum corpus & mea anima per omnes partes circumdantur & obſidentur à defectibus & paupertatibus, per omnes partes & per omnes modos indigeo tuâ Misericordiâ; quia, niſi cooperiar & implear ipsâ, peribo in illis partibus, in quibus non habeo eam.

27. Sicut homo infirmus gravi infirmitate, qui non potest sanari nec convalescere niſi per unum modum & per unum medicamentum, ita ſcias, *Domine*, quòd ego adeò ſim infirmus, quòd non poſſim curari niſi per unam curam & unum unguentum, hoc eſt per oculos tuæ Misericordiæ; quia cum hoc solo, quòd ipsi me velint reſpice-re, ſtatim sanabor ab omnibus meis culpis & languoribus.

8. K. *Domine amate, Domine volite, Domine memorate!* Ratio & natura requirit & mandat, quòd res miseræ pauperes indigentes recurrent ad fontem virtutis & omnis complementi & omnis perfectionis: igitur, cùm ego ſim creatura valde indigens & misera, non eſt mirum, ſi recurrent ad tuam

tuam sanctam Misericordiam, ut me adjuvet in meis curis & in meis necessitatibus.

29. Mirum est, *Domine*, quod homo pauper & indigens non recurrat ad tuam Misericordiam, & desperet de Te, qui nunquam repulisti ullum hominem à tua Misericordia, dummodo eam petiverit à Te, sicut pertinet & convenit eam peti.

30. Multi homines sunt in hoc mundo, qui moventur ad pietatem & misericordiam erga pauperes & orphanos & desolatos: igitur, cùm Tu, *Domine*, videas me adeò pauperem virtutibus & adeò oneratum peccatis, placeat Tibi Te movere ad Misericordiam mearum necessitatum, ut possim venire ad tuam gloriosam Gloriam divinam.

## CAPUT XCVI.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS** sit misericors erga omnes illos, qui  
in sua Misericordia confidunt.

1. **O** *DEVIS* misericors, vere, honorate,  
a. potens super omnes potestates, mag-

ne

*ne super omnes magnitudines! Si ad Te per-*  
*tinent honorificentia & reverentia & ho-*  
*nor ratione tuæ magnæ Bonitatis, similiter*  
*pertinent ad Te ratione Misericordiæ, quam*  
*habes erga illos, qui in tua Misericordia*  
*confidunt.*

2. *Gloriose Domine! Sicut Tu apprō-*  
*priasti meo esse proprietates, per quas eat*  
*secundum cursum naturæ; ita appropriaſti*  
*mihi confidentiam in tua benedicta Mise-*  
*ricordia.*

3. *Benedictus sis, Domine DEVS, &*  
*benedicta sit tua Misericordia, quia, sicut*  
*Tibi est proprium misereri ratione tuæ Per-*  
*fectionis, ita nobis est proprium confidere*  
*in tua Misericordia, ratione nostrarum ne-*  
*cessitatum.*

. b. *O Domine sapiens! O Domine Crea-*  
*tor & Redemptor noster! Tot modis & in*  
*tot vias non verto meam cogitationem,*  
*quod possim invenire ullam viam nec ul-*  
*lum modum, in quo non sis misericors er-*  
*ga omnes illos, qui in tua Misericordia*  
*confidunt.*

5. Non

5. Non est ulla res creata & facta, *Domine*, in qua tua Misericordia non stet, & non sit; quia omnia perirent, si tua Misericordia non esset: unde, quia tua Misericordia stat in omnibus rebus, ideo eam à Te peto in omnibus meis necessitatibus.

6. Cúm ego tuus servus & tuus subditus, *Domine*, videam tuam Misericordiam esse in omnibus locis, & videam ipsam mihi esse adeò necessariam, magnam injuriam mihi facerem, si in ea non confiderem; &, quoniam in ea confido, magnam injuriam mihi faceres, si mei non miserereris, cùm tantam Misericordiam habeas, & ipsa sit mihi adeò necessaria.

7. c. *Domine DEVS, qui es suprema Bonitas & complementum & perfectio omnium bonorum!* Ius homo & tuus captivus confido in tua Misericordia verâ intentione & vero proposito amandi & honorandi Te: unde, cùm mea intentio principaliter sit in amando & honorando Te, & in serviendo Tibi, ideo est rationabile, quòd habeas pietatem & Misericordiam erga me.

8. Qui

8. Qui à Te petunt gratiam, Domine,  
ut Tibi possint servire, possunt melius con-  
fidere in tua Misericordia , quām qui à Te  
petunt gratiam, ut possint recipere honores  
& servitia; quia illi, qui plūs amant Te ho-  
norare, & Tibi servire, quām sibi ipsis, con-  
fidunt in Te legaliter ; & illi, qui amant  
plūs honorare & servire sibi ipsis, quām  
Tibi, confidunt in Te malè & falsò.

9. Beati sunt omnes, qui à Te, Domine,  
sperant Misericordiam verā intentione ;  
quia oportet, quòd eam consequantur, quo-  
niam intentio est vera & ordinata ; & qui  
falsā intentione à Te petunt Misericordi-  
am, frustra confidunt, quia sunt maledicti,  
& non licet eis confidere in ea , quoniam  
nunquam eam consequentur , cùm in sua  
confidentia misceant inordinationem &  
falsitatem.

10. d. *Humilis Rex Gloriæ, honorate su-*  
*per omnes nobilitates ! Cùm tua Misericor-*  
*dia sit adeò magna, & ego videam eam se*  
*extendere ad tot homines, non est mirum,*  
*si confidam in ea, imò dico Tibi, Domine,*  
quòd,

*Vol. I. Lib. II. Dist. XX. Cap. XCVI.* 301  
quòd, si scirem Te non misereri ullius hominis, adhuc non desperarem de tua Misericordia; quia est impossibile per desperationem habere beatitudinem, & est possibile per confidentiam venire ad cœlestem gloriam.

11. Eundo & stando & sedendo & comedendo & bibendo & vigilando & dormiendo volo confidere in tua Misericordia, *Domine*; quia valde bene scio, quòd, dum confidam in ea, nullus meorum inimicorum poterit mihi nocere.

12. Qui vivunt in hoc mundo & non confidunt in tua Misericordia, non est mirum, *Domine*, si habeant labores & tribulationes, & si tententur & decipientur & superentur & malè tractentur à suis inimicis; quia non est, qui eos juvet, nec quis eos custodiat & defendat, quoniam non sperant in tua Misericordia.

13. e. *Perdurabilis Domine, plene Misericordia!* Gratiae & amores, quos mihi fecisti in tempore præterito, sunt mihi signum & demonstratio, ut confidam in Te in futuro; quia,

quia, sicut mihi fuisti misericors in bonis  
præteritis, ita potes esse mihi misericors in  
futuris.

14. Sicut Tu, *Domine*, voluisti effun-  
dere tuum Sanguinem & mori pro amore  
nostris, ita debemus confidere in tua Mise-  
ricordia, quod nobis det perdurablem glo-  
riam ; quia Misericordia, quæ nobis dedit  
tuum Corpus, ut salvemur, nobis dabit bo-  
na paradisi, & nos defendet ab igne in-  
fernali.

15. Unde benedictus sis Tu, *Domine* ;  
quia nulla res tantum convenit cum altera  
in natura & proprietate, quantum indul-  
gentia, quam nobis concedas, & confiden-  
tia, quam habeamus in tua dulci Misericor-  
dia ; quoniam convenit Tibi indulgere,  
nobis convenit confidere in Te.

16. f. O *Domine sapiens*, adjutorium &  
restauratio nostra ! Benedictus sis Tu &  
omne, quod tuum est; quia, sicut vasallus  
fortiter obligat suum Dominum, quando  
confidit in ejus adjutorio & succursu ; ita,  
*Domine*, ego volo confidere in tua Misericordia,

cordia , ut Te respicias tanquam obligatum ad miserendum mei, quoniam in Te confido.

17. Tuus servus, *Domine DEVS*, stat ante tuum gloriosum Altare & ante figuram sanctæ Crucis, & petit à Te junctis manibus genuflexus corde devoto & oculis plorosis, ut ei concedas tuam Misericordiam tali modo, quòd sit ei tanquam pater & mater & dominus & directio & liberatio à peccato.

18. Tuam Misericordiam, *Domine DEVS*, spero & desidero, ut mihi sit propugnaculum & domus refugii, & ut me vestiat & cooperiat intús & foris gratiâ & benedictione, & imposterum fac de me, quidquid velis; quia me semper invenies confidem & sperantem in tua Misericordia.

19. g. *Domine DEVS*! Gloria & virtus & nobilitas & omnia bona cognoscantur tuæ Misericordiæ, quæ est adeò magna, quòd intellectus & imaginatio non sufficiant ad comprehendendum magnitudinem ipsius;

ipsius; & sicut intellectus & imaginatio hominis non sufficiunt ad comprehendendum magnitudinem tuæ Misericordiæ, ita volo habere tantam confidentiam in ea, quòd magnitudo meæ confidentiæ non pos- sit comprehendendi à meo intellectu & ima- ginatione.

20. Multoties æstimavi, Domine, apud me, quid sit majus vel tua Misericordia vel mea peccata & meæ culpæ; & licet sint valde magna mea peccata & meæ culpæ, tamen invenio tuam Misericordiam esse multò majorem ipsis, & quia hoc invenio, propterea confido in tua benedicta Misericordia.

21. Sicut proprium est homini peccatori, quòd sit crudelis & ingratus ratione sui peccati; ita est proprium homini justo, quòd sit tener corde & pius ratione bonorum operum in quibus est: igitur, cùm Tu, Domine, sis adeò pius & bonus, de necessitate convenit, quòd sis misericors; & prop- terea tua magna Bonitas me facit omnibus diebus confidere in tua Misericordia.

22. h.

22. h. *Domine large, Domine virtuose,  
Domine sapiens!* Cúm tua Misericordia sit  
adeò magna, quòd non habeat ullum de-  
fectum in se, imò habeat omne comple-  
mentum & omnem perfectionem, omni  
homini sufficit confidere in ipsa tantum,  
& non oportet confidere in ulla alia re;  
quia non oportet hominem confidere in  
sua fortitudine nec in sua juventute nec in  
suis divitiis nec in sua sapientia nec in ami-  
cis nec in cognatis nec in honorificentia,  
quam habeat, dummodo in tua Misericor-  
dia confidat.

23. Omnis homo, *Domine*, qui in alio,  
nisi in Te, confidit, frustra confidit; quia  
omnia præter Te sunt vana & plena defec-  
tus; & propterea, qui in eis confidit, est  
vilos & vanus & plenus defectu, quia ea  
in quibus confidit, sunt vilia & vana &  
parvæ utilitatis, & in omnibus se invenit  
deceptum in fine.

24. Benedicta sit, *Domine DEVS*,  
tua magna Misericordia & benedicti sunt  
omnes, qui in ea confidunt; quapropter

nolo meam spem & confidentiam esse in  
ulla alia re, nisi in tua Misericordia, de  
qua derivantur & veniunt omnia bona.

25. i. *O Domine Sancte, qui es Lumen &  
Splendor omnium peccatorum in Te confiden-  
tium!* Sicut pullus, qui vadit post gallinam,  
quando videt milvum, statim refugit ad  
proteendum se sub alis gallinæ; ita *Domi-  
ne*, quoties cogito, & perpendo tuam mag-  
nam Justitiam & mea magna peccata,  
propter magnum timorem, quem habeo à  
tua Justitia, statim recurro ad confiden-  
dum in tua Misericordia.

26. Via, per quam homo vadit ad per-  
durabilem ignem, est opus peccati, & via,  
quæ dicit hominem ad perdurablem glo-  
riam, est opus Misericordiæ: igitur, cùm  
huius peccatum, quod possit esse, sit, *Do-  
mine*, desperatio de tua Misericordia, ne  
in me sit istud peccatum, & ut mea opera  
sint in via perdurabilis gloriæ, confidam in  
Te & in tua Benignitate & in tua miseri-  
cordi Pietate, & nunquam volo esse sine  
confidentia in tua Misericordia.

27. Cùm

27. Cúm figura Crucis demonstret,  
*Domine*, tuum Corpus nudum & flagella-  
tum & clavis affixum & vulneratum & mor-  
tuum, demonstrat tantam Misericordiam,  
quòd maiorem non posset demonstrare:  
igitur, cùm in Cruce tua Misericordia de-  
monstretur tanta, satis miser est, qui de  
ipsa desperat.

28. K. O Rex gloriose, *Domine Dominorum*, *humilis super omnes humilitates*! Cúm  
tua Misericordia mihi dederit tot bona in  
hoc mundo, quantò majora mihi dabit in  
altero? nam, si Tu, *Domine*, es misericors  
de istis bonis temporalibus, quæ nihil va-  
lent respectu bonorum alterius sæculi,  
quantò plús eris misericors de bonis alte-  
rius sæculi?

29. Tuam Misericordiam, *Domine*,  
adoro & benedico & laudo ex omni mea  
potestate, quia fecit mihi gratiam de *esse*  
humano, & me fecit *esse Christianum*, &  
me facit Te amare & honorare, & Tibi  
obedire & servire, & dat mihi sufficienti-  
am bonorum temporalium: igitur, cùm tot  
bona

bona mihi venerint à tua Misericordia, sat  
tis stultus essem & extra meum sensum, si  
de ea desperarem.

30. In omnibus meis necessitatibus,  
*Domine D E V S*, & in omnibus rebus, qui-  
bus indigeo in hoc sæculo & in altero, con-  
fido in tua Misericordia, & ei ago gratias &  
laudes, quia mihi fecit gratiam perficiendi  
istam Distinctionem & alias, & in ea con-  
fido , quòd me adjuvet ad perficiendum  
alias Distinctiones futuras ad gloriam  
& laudem nostri Domini

D E I.

DISTINCT.




# DISTINCT. XXI.

## DE GLORIA PARADISI.

### CAPUT XCVII.

**EVOMODO HOMO GLORIFICE-**  
*tur in divina Essentia.*

i.  
a.



**D E V S** gloriose! Tibi,  
qui es complementum  
meorum desideriorum  
& perfectio mei propo-  
siti , ago gratias & lau-  
des confidendo in tua

benedicta Gloria, in qua glorificantur beati  
à tua Deitate in quinque sensibus spiritua-  
libus.

**2.** Nam, quia homo, *Domine*, in glo-  
ria cogitat in tua Magnitudine & in tua  
Virtute , & intelligit & percipit omne id,  
in quo cogitat ; ideo sentit in sua anima  
tantam gloriam & dulcedinem, quòd non  
sit

sit ulla gloria & dulcedo, quæ cum illa sit æstimabilis nec comparabilis.

3. Dum anima beati glorificatur, *Dominus*, in tua Deitate, tota sua gloria & tota sua dulcedo & tota sua beatitudo est in laudando & benedicendo tuam Deitatem, & totum suum conatum ponit in agendo Tibi gratias & in cognoscendo tuam honorificentiam & tuam nobilitatem.

4. b. *O Dominus Deus, qui es oculus meorum oculorum, & Dominus mearum virium:* Beati, qui glorificantur in gloria ratione perceptionis & cognitionis, quam habent de tua Deitate, ideo se sentiunt glriosos, quia tam bonum saporem & tale placitum habent in cognoscendo Te, quod non sit cor hominis potens concipere & figurare gloriam, quam illi sentiunt.

5. *Amoroſe Domine!* Sicut homo sentit majorem calorem, quo plús accedit ad ignem, ita erit de illis, qui erunt in tua Gloriam; quia, quo plús suæ animæ accedent ad cognoscendum & percipiendum & intelligendum tuam Deitatem, eo plús sentient se

6. *Domine D E V S*! Sicut magnus ignis est causa magni caloris, ita magna perceptio & magna cognitio de tua gloriosa Deitate erit hominibus in paradiſo causa essendi in magna gloria & benedictione.

7. c. *O Domine nobilis per multas nobilitates!* *O Domine honorate per multas honorationes!* Qui in gloria habent conscientiam, quòd tua Misericordia deleverit omnia sua peccata, glorificantur ratione conscientiæ, quæ eos non remordet, nec tenet in dubio.

8. Imò tota sua conscientia est, *Domine*, in reputando se obligatos ad laudandum & benedicendum & adorandum Te, & ad agendum Tibi gratias pro magna gratia, quam eis fecisti; & ista intentio, quæ eis venit à sua conscientia, est eis occasio, ut recipiant gloriam à tua gloriosa Essentia divina.

9. *O Humilis Domine plene Gratia!* Sicut homines justi & recti cum conscientia constringunt & torquent corpus in hoc sæculo

seculo ratione peccatorum & defectuum,  
quos timent facere, ita in cœlesti gloria  
beati glorificabuntur ratione conscientiae,  
quam habebunt ad amandum & laudan-  
dum Te, & ad serviendum Tibi.

10. d. *Sapiens Domine, patiens, pie, con-  
fortatio & spes nostri peccatorum!* Ratione  
magnæ subtilitatis, quam homo habebit in  
gloria in tua sancta Trinitate & in tua be-  
nedita Unitate, habebit tantam gloriam,  
quòd non posset plus habere.

11. Adeò subtilis erit homo, *Domine*, in  
gloria in cognoscendo tuam Æternitatem  
& tuam Infinitatem & tuam Potestatem &  
Sapientiam & alias Virtutes, quòd illa sub-  
tilitas adeò magna erit ei tanta gloria,  
quòd non possit arbitrari nec æstimari.

12. In cœlesti gloria habebit homo,  
*Domine*, tantam subtilitatem in cognoscen-  
do conjunctionem & unionem tuæ Deita-  
tis cum tua Humanitate, quòd illa subti-  
litas erit ei occasio valde magnæ gloriæ.

13. e. *Domine DEVS, qui es melior Do-  
minus & dulcior & acceptabilior, qui possit  
esse:*

esse! Tu glorificabis in gloria homines justos ratione suæ *animositatis*; quia in hoc, quòd ipsi percipient magnas altitudines & nobilitates tuæ Deitatis, eveniet eis adeò magna animositas in amando & laudando & honorando Te, & adeò magnus erit suus fervor & ardor in amore, quòd nulla gloria sit comparabilis cum illa, quam sentient per amorem, quem habebunt erga Te.

14. Adeò conveniens videbitur beatis, qui erunt in gloria, *Domine*, laudare & adorare Te, & obedire Tibi, & adeò magna erit voluntas & amor, quem in hoc habebunt, quòd nulla alia res erit, in qua velint cogitare, nisi in amando & honorando Te.

15. Quando beati in gloria se videbunt coram Te, *Domine*, & percipient se esse amandos à Te perdurableiter, & sentient se totaliter inamoratos de Te, tunc erit adeò magna sua animositas & suus amor, quòd non posset æstiunari nec comprehendi magna gloria, quæ erit in eis per magnum amorem, qui eis veniet à tua gloriofa

riosa Essentia divina.

16. f. O Domine sancte, gloriose, in quo perficiuntur & complentur omnia nostra desideria & omnes nostra spes! Modi, quibus homo glorificabitur in Te, erunt tot & adeò magni, quòd non possint comprehendendi nec aestimari.

17. Adeò magnam perfectionem habebit, Domine, gloria, quam homo habebit in tua Essentia, quòd non erit necessarium ipsum glorificari in cibo & potu & in commercio fœminarum: imò, si ita esset, quòd istæ res essent in gloria, non posset homo tantum glorificari, quantum glorificabitur sinè ipsis.

18. Nam, sicut sensus spirituales turbantur per corporales in hoc mundo, ita, Domine, si homo in paradiſo comedederet, & biberet, & carnaliter communicaret cum fœminis, turbaretur, & non posset perfectè recipere gloriam à tua benedicta Essentia divina.

19. g. O Domine DEVS, qui es Splendor omnium splendorum & Lumen omnium lumi-

*Vol. I. Lib. II. Dist. XXI. Cap. XCVII. 315*  
*luminum! Cúm oporteat cœlestem gloriam*  
*esse perdurablem & infinitam , oportet*  
*hominem in ea non glorificari per cibum*  
*& potum & conjunctionem carnalem ;*  
*quia, si ita glorificaretur, gloria esset fini-*  
*ta, quoniam unum placitum & unus sapor*  
*finiret & terminaret aliū.*

**20.** Cúm res, quas homo comederet  
& biberet & palparet in paradiſo , si tali-  
bus rebus glorificari deberet , essent finitæ  
& habentes principium, de necessitate con-  
veniret, *Domine*, gloriam, quam inde ha-  
beret, esse finitam , quia res finita non ha-  
bet dignitatem nec potestatem dandi glo-  
riam infinitam.

**21.** Tua sancta divina Essentia, *Domi-  
ne DEVS* , laudetur & glorificetur & be-  
nedicatur, quæ est adeò alta & nobilis  
quod sufficiat ad gloriam Angelorum &  
hominum , quin sit necessaria beatitudo  
epularum & commixtio virorum & mulie-  
rum.

**22. h.** *Glorioso Rex Gloriarum , perfecte in*  
*omnibus bonis ! Si in hoc mundo, Domine,*  
pla-

placitum, quòd homo invenit in cibo & potu & vestitu & in delectatione carnali, eum impedit ab amando & laudando Te, & à contemplando in Te; quantò plús eum impediret in alio sæculo, si tale placitum in eo haberet?

23. In tua gloria, *Domine*, multò magis placitum & bonum saporem habebunt homines de gloria, quam videbunt esse in Te, quàm de illa, quam videbunt in se ipsis, quia multò plús amabunt Te, quam se ipsos: igitur, si ita esset, quòd comedere & bibere & delectatio carnalis essent in paradyso ad glorificandum homines, oportet ipsis amare se plús, quàm Te, quia vellent recipere gloriam à re distincta à Te.

24. Sicut homo in hoc mundo non potest habere gloriam & bonum saporem à rebus diversis in eodem tempore, ita, *Domine*, non poterit in paradyso habere gloriam & beatitudinem nisi à Te; quia, sicut in hoc mundo non potest perpendere nec cogitare simul diversas res, ita in paradyso non

non posset simul habere gloriam à Te &  
à cibo & potu & delectatione carnali.

25. i. O Domine *DEVS*, qui es *Salva-*  
*tor & Recreator noster*! In hoc, quòd fue-  
ris sufficiens ad dandum complementum  
& perfectionem huic mundo secundum  
quòd est conveniens, apparet, quòd sis suf-  
ficiens ad dandum gloriam per Te ipsum  
illis, qui erunt in paradiſo: igitur, si in  
paradiſo homo deberet comedere & bibere  
ad habendum complementum gloriæ, vi-  
deretur, quòd Tu non esſes sufficiens per  
Te ipsum ad dandum perfectam gloriam.

26. Si per aliam rem nobis non signi-  
ficaretur nec demonstraretur, quòd homo  
in paradiſo non comedet nec bibet nec  
carnaliter conferet cum fœminis nisi per  
intentionem, propter quam Tu, *Domine*,  
fecisti hominem, hæc sufficeret ad affir-  
mandum in paradiſo non esse futuram ta-  
lem gloriam; quia intentio, propter quam  
fecisti hominem, non fuit ad hoc, ut in  
paradiſo haberet talem gloriam, imò fuit,  
ut in eo cognosceret tuam magnam Boni-  
tatem,

27. Si in hoc mundo videmus, Domine, tam magnam dulcedinem & tam magnum placitum habere homines pauperes, quando possunt loqui cum Regibus & cum magnis hominibus; quomodo posset esse, quod in gloria, quando homines erunt in præsentia tuæ Deitatis, indigeant gloriâ lacris & vini & mellis & butyri & olei & aquæ & delectationis carnalis.

28. K. Singularis Domine, in quo stat tota nostra beatitudo & tota nostra benedictio! Ratio, quare homo invenit in hoc mundo bonum saporem in comedendo & bibendo, est inordinatio quatuor qualitatum & quinque potentiarum animæ: igitur, cùm in paradyso erunt quatuor qualitates hominis temperatæ & potentiaz animæ ordinatæ, per hoc potest homo intelligere & scire, quod non oporteat se habere in paradyso bonum saporem prædictarum rerum corporalium.

29. Possetne ullus homo dicere maiorem stupiditatem & maiorem fatuitatem,  
*Domine,*

**Domine**, quām quando dicit in paradiſo hominem non posſe habere perfectam gloriā ſinē cibo & potu & conſortio fœminarum ? quare non conſiderat Te habere multò majorem potestatem dandi gloriā hominibus de tua eſſentia, quām ipsi poſſint recipere in iplis ?

30. *O Pater cælestis, abundans omnibus bonis ! Cūm gloria, quam homo recipit à tua Eſſentia, Domine, ſit ſinē fine; & delectationes, quas homo recipit in hoc miſero ſæculo, ſint adeò transitoriæ , quo inodo eſt tanta ſtultitia in nobis, quòd propter iſtam caducam felicitatem mundanam oblivisca- mur infinitæ gloriæ , quæ venit & derivatur à tua glorioſa Eſſentia divina ?*

## CAPUT XCVIII.

**QVOMODO HOMINES JVSTI**  
*in paradiſo glorificabuntur in Humanitate nostri Domini DEI JESV Christi.*

I. a. **O** *DEVS honorate, Domine laudate ab omnibus gentibus ! Laus & glo- ria*

ria & benedictio sint tuæ sanctæ Humanitati , quæ glorificabit in paradiſo homines in suis sensibus corporalibus, per quos virtuificabuntur ad glorificandum sensus spirituales in tua Deitate.

2. Adeò magna est conjunctio sensuum corporalium & sensuum spiritualium hominum, *Domine*, quòd in paradiſo sensus corporales erunt occasio spiritualibus, ut habeant multiplicationem gloriæ, & spirituales erunt occasio corporalibus, ut habeant majorem gloriam & majorem beatitudinem.

3. *Gloriose Domine!* Sicut tua glorioſa Essentia divina erit ſubjectum & cauſa, ut glorificantur sensus spirituales hominum, qui erunt in paradiſo, ita tua benedicta humana Natura erit ſubjectum & cauſa, ut glorificantur sensus corporales ipſorum: igitur, ut sensus spirituales & corporales hominum haberent in paradiſo, de quo poſſent recipere perfectam gloriam, oportuit Te eſſe ſimul DEUM & Hominem.

4. b. O *Domine Deus*, qui es vera  
Vita,

*Vol. I. Lib. II. Dist. XXI. Cap. XCVIII. 321*  
*Vita, de qua recipiunt vitam omnes aliæ  
vitæ! Ratio, quare homo glorificabitur in  
paradiso in tua Humanitate, erit, quia vi-  
debit eam esse conjunctam cum Deitate,  
& videbit tuum gloriosum Corpus pul-  
chrius & splendidius omni pulchritudine  
& splendore, & videbit tuam sanctam Hu-  
manitatem honorari & laudari & adorari  
ab Angelis & Arch-angelis & Patriarchis  
& Prophetis & Martyribus & Confessori-  
bus & omnibus Sanctis.*

5. Unde, quando homo, *Domine*, vi-  
debit in gloria tuam humanam Naturam  
adeò honoratam, quòd cum Deitate sit  
unita, & quando videbit ipsam adeò pul-  
chram & gloriosam, de ista visione habebit  
adeò magnum placitum & magnam dulce-  
dinem, quòd nulla gloria nec ullus bonus  
sapor possit esse major & melior.

6. Unde benedicta sit, *Domine*, tua  
sancta Humanitas, quia satis rationabile &  
verum appareat, quòd majorem gloriam ha-  
bebit homo in paradiſo videndo eam in  
adeò magno honore, quam haberet, si co-

mederet & biberet & delectaretur cum fœminis , & non videret ipsam esse conjunctam cum tua Essentia divina; quoniam apparet, quòd majorem gloriam debeat dare res conjuncta cum Deitate , quàm res non conjunctæ cum ipsa , & maximè , quando homo se videbit illius naturæ & figuræ, in qua videbit tuam Humanitatem conjunctam cum Deitate.

7. c. *Domine vere DEVS, qui es unus in Trinitate, & qui es insimul Deitas & Humanitas!* Quando beati audient in gloria auribus corporalibus voces & cantus , quos Angeli & Sancti paradisi emittent in tuas laudes & in tuas honorationes , tunc sentient tantam dulcedinem & tantam gloriam, quòd nullus homo posset eam eloqui nec aestimare.

8. Quodnam placitum & quemnam bonum saporem potest homo habere , *Domine, à laudatione epularum & vestimentorum & pulchritudinum fœminarum & communicationis earum, de quo possit habere & sentire tantam gloriam & dulcedinem,*

nem, quantam de vocibus , quas Angeli & Sancti & Sanctæ emitte[n]t dando laudem de tua Humanitate unita cum tua Deitatem?

9. In paradiſo, *Domine*, quantumcunque magnam beatitudinem epularum & indumentorum & fœminarum haberet homo, non posset adeò accedere ad tuam Deitatem sicut per hoc, quòd ipsa sit unita cum natura humana: unde propter hoc plus beatitudinis & gloriæ consequetur homo in gloria ratione tuæ Humanitatis, quam conſequeretur, si haberet omnes delectationes, quas Saraceni credunt esse ibi habendas in cibo & potu & indumentis & palatiis & fœminis.

10. d. O *Domine DEVIS*, qui visitas fideles Christianos, & eos defendis a manibus suorum mortaliū inimicorum! Beati , qui erunt in gloria in corpore & anima, glorificabuntur in tua Humanitate corporaliter; quia , sicut homo sentit calorem in igne, ita ipſi suam gloriam & suum placitum & suum bonum saporem sentient in honorificentia

324 B. Raym. Lulli. Lib. Contempl.  
centia & exaltatione , quam videbunt in  
tua Humanitate.

11. Nam, quando ipsi se sentient esse  
tuæ Naturæ, & se sentient amari à Te, &  
esse tuos amatores, tunc, *Domine*, adeò sen-  
sibile gloriæ erit corpus cuiuslibet , quòd  
non posset plús glorificari ullo alio mo-  
do.

12. Satis stultus est , *Domine* , & satis  
ignarus omnis homo, qui credat majorem  
gloriam posse homines habere per cibum  
& potum & fœminas in paradiſo , quām  
per unionem tuæ Humanitatis cum tua  
Deitate.

13. e. *Domine bone, Domine sapiens , Do-*  
*mine potens, plene gloriâ & benedictione!*  
Quamvis in paradiſo , qui in eo erunt, non  
sentiant saporem gustus nec odoratus, sicut  
Saraceni dicunt , tamen gloria non erit di-  
minuta nec manca.

14. Nam adeò magnam gloriam ha-  
bebit homo, *Domine* , ex visione tuæ Hu-  
manitatis, & adeò magnam dulcedinem ex  
auditione cantuum & laudum , quibus ho-  
mīnes

mines & Angeli Te laudabunt , & adeò placebunt ei tua verba , & adeò gaudebit videndo se hominem, sicut Tu , quòd non desiderabit sapores ciborum nec placita odorum ratione magnæ sufficientiæ & complementi gloriæ, quam habebit.

15. Multò majorem gloriam sentient homines, *Domine*, in tribus sensibus corporalibus scilicet in visu & auditu & tactu ex hoc , quòd sis DEUS & Homo , quām sentirent, si non essemus DEUS & Homo , & ipsi gustarent & odorarentur in paradyso ; quia plús ponderant & majorem gloriam recipiunt tres sensus ex hoc, quòd sis conjunctus cum humana natura, quām recipe-rent quinque, si non essemus conjunctus cum ea.

16. f. *O Domine sapiens, magne in omnibus nobilitatibus, honorate in omnibus hono-rationibus!* Benedicta sit tua sancta Humanitas , in qua glorificantur Angeli & Archangeli paradisi ; nam, quia tua Anima rationalis est in natura similis Angelis ; propterea ipsi habent gloriam, quando vi-dent

dent se esse in natura similes ipsi.

17. Tuæ gloriose Humanitati, *Domi-  
ne DEV'S*, detur gloria & honor, quoniam  
in ea perfectè glorificantur omnes Angeli  
& omnes Sancti paradisi; & benedicta sit  
tua Deitas, quæ cum ea voluit se con-  
jungere ad dandum gloriam beatis para-  
disi.

18. Cùm tua Humanitas, *Domine  
DEV'S*, sit gloriosa in paradyso, & det glo-  
riam omnibus Sanctis paradisi, magnam in-  
juriam sibi ipsis faciunt infideles, qui eam  
contemnunt; & valde magnum damnum  
evenit eis per hoc, quòd ignorent in hoc  
mundo honorem & gloriam, quam ipsa ha-  
bet in alio saeculo.

19. g. *Domine DEV'S*: Tuæ honoratæ  
Humanitati cognoscatur omnis sapientia  
& omnis nobilitas & omnis benedictio;  
nam, quia ipsa est unita & conjuncta cum  
tua Deitate, est adeò alta & honorata in  
virtutibus & nobilitate, quòd possit dare  
perfectam gloriam omnibus illis, qui ab ea  
gloriam recipiunt.

20. *Domine*

20. *Domine vere DEVS!* Cúm tua Humanitas sit adeò gloria & nobilis, beati sunt omnes, qui ad laudem & honorem & servitium ipsius sustinent in hoc sæculo ignominias & contemptus & tormenta & mortem.

21. Nam, sicut conjunctio tuæ Deitatis cum tua Humanitate, *Domine*, est causa gloriæ & benedictionis tuæ Humanitatis, ita similitudo operum & mortis ipsius, quæ fuerit in Martyribus in hoc mundo pro amore Tui, erit eis causa gloriæ & benedictionis.

22. h. *Juste Domine, virtuose, plene omnibus potestatibus & omnibus viribus!* Cúm tua Deitas habeat tuam Humanitatem adeò gloriosam & honoratam in paradyso, valde tenemur eam amare & honorare & laudare & ei servire.

23. Si nos sumus obligati, *Domine*, honorare tuam Humanitatem ex tota nostra potestate, fatis miseri & culpabiles sumus, quando tuum pretiosum Corpus de pane consecratum super Altare recipimus in os men-

328 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
mendax, & aspicimus oculis peccatoribus  
& tractamus inanibus immundis.

24. Estne ulla stultitia & ignorantia,  
*Domine*, similis isti, quod tuum Corpus sit  
in paradyso adeo honoratum à tua Deitate  
& ab omnibus Angelis & Sanctis, & nos in  
hoc mundo ei demus tam paucum hono-  
rem, & ei faciamus tam paucam reveren-  
tiam?

25. i. O *Domine DEVS*, qui es prior &  
posterior omnibus rebus! Benedicta sit tua  
beata Humanitas, quæ est mediatrix inter  
tuam Deitatem & gloriam Sanctorum pa-  
radisi, ut beati habeant gloriosam gloriam  
perfectam sinè ullo defectu, quæ sit com-  
pleta in omni perfectione & complemen-  
to.

26. Sicut est res extranea & timibilis,  
quod homo vialis & miser & pauper acce-  
dat ad nobilem Regem potentem, & cum  
eo soletur; ita, *Domine*, esset res extranea  
& timibilis, quod creatura accederet ad  
suum Creatorem, & cum eo solaretur in pa-  
radiso, quin Creator esset conjunctus cum  
creatura.

creatura.

27. Unde benedictus sis, *Domine Deus*, qui voluisti suscipere humanam Carnem, ut per eam Sancti paradisi assumerent gloriam & benedictionem à Te; quia valde magna causa est eis gloriandi in Te, quando vident tuam Humanitatem, quæ est eis similis in natura, esse unitam cum tua Deitate.

28. K. *Humilis Domine, qui es Spes & Consolatio nostri peccatorum!* Cúm nullus homo quantumcunque multam scientiam habeat, possit comprehendere & scire magnitudinem Gloriæ, quam sancti paradisi recipiunt à tua Humanitate; quis est, qui posset arbitrari & æstimare magnitudinem Gloriæ, quam ipsa recipit à tua gloriosa Deitate?

29. Cúm omne id, quod est Gloria & Honor in tua Deitate, sit, *Domine, Gloria & Honor in tua Humanitate;* & omne id, quod est amatum & volitum, possit & scitum à tua Deitate, sit amatum & volitum, possit & scitum à tua Humanitate;  
quodnam

quodnam cor & quinam intellectus posset sufficere ad imaginandum & æstimandum Gloriam & dulcedinem & placitum, quæ sunt in tua Humanitate?

30. Tuus servus, *Domine DEVS*, corde devoto & oculis lacrymosis laudat & benedicit tuam sanctam Deitatem & tuam sanctam Humanitatem; quia tua sancta Deitas dat Gloriam tux Humanitati, & tua Humanitas dat Gloriam beatis paradi-  
si, quia eos glorificat in tua gloriosa Dei-  
tate.

## CAPUTV XCIX.

### *QVO MODO BEATI PARADISI gloriantur in suam beatitudine.*

i. **D**EVS gloriose! Tibi, *Domine*, cog-  
a. noscatur omnismagnitudo & omnis Nobilitas & omnis Sanctitas; quia voluisti, quòd Sancti paradiſi sentiant gloriam de beatitudine, quain posuisti in eis; nam, quando ipsi considerant se nihil fuisse, antequam

*Vol. I. Lib. II. Dist. XXI. Cap. XCIX. 331*  
tequam eos poneres in esse , & vident se  
esse , & sciunt se nunquam esse perdituros  
suum esse, tunc habent valde magnam glo-  
riam ex hoc , quod cogitant & confide-  
rant.

2. Quando beati paradisi arbitrantur  
& aestimant magnum amorem & magnam  
gratiam , quam Tu, *Domine*, eis fecisti,  
quando eos deduxisti ad Gloriam paradisi,  
& eos custodivisti ab igne infernali, tunc  
sentiunt se totos gloriosos & beatos & ple-  
nos gratiâ & benedictione.

3. Quando Sancti paradisi , *Domine*,  
se vident amatos & honoratos à Te, & se  
sentiunt inamoratos de Te ex amore, quem  
vident Te erga eos habere , & ex amore,  
quem ipsi habent erga Te, oritur in eis adeò  
magnum placitum & adeò magnum gau-  
dium & adeò magna gloria , quòd non  
posset ab homine comprehendi nec aesti-  
mari.

4. b. O *Domine DEVS* , in quo non est  
finis nec principium ! Benedictus sis Tu &  
omne, quod à Te est ; quia Gloria, quam  
beati

beati habent in paradiso per hoc, quod sci-  
ant suam beatitudinem & benedictionem  
nunquam habituram esse finem, est adeo  
magna, quod non posset esse major, quo-  
niam nulla gloria deficit illi, qui scit suam  
beatitudinem esse sine omni fine.

5. In paradyso, *Domine*, quando homi-  
nes ibi erunt in corpore & anima, & vide-  
bunt Angelos & Archangelos & Prophe-  
tas & Martyres & Confessores & omnes  
Sanctos paradyssi ordinatos coram Te, & vi-  
debunt se totos pulchros & splendidos &  
totos mundatos ab omnibus peccatis, habe-  
bunt tantam gloriam & complacentiam,  
quod non sit os, quod posset eam dicere,  
nec cor, quod posset eam aestimare.

6. Quando homines erunt cum cor-  
pore & anima in paradyso, *Domine*, & cog-  
noscent se invicem, & solabuntur ad in-  
vicem, & amabunt se invicem, tunc ha-  
bebunt tantam gloriam & beneplacitum,  
quod mirabile esset dici & enarrari.

7. c. *Domine laudate, Domine amate,*  
*Domine memorate!* Quando Sancti para-  
disi

disi sentient se totaliter liberos, quin se videant obligatos ulli alteri rei, nisi ad laudandum & benedicendum & honorandum & amandum Te, & se sentient totaliter purificatos & mundatos, tunc habebunt omnem perfectionem & complementum gloriæ.

8. *O Domine Deus!* Quam magna erit Gloria, quam sancti paradisi sentient de verbis, quæ loquentur ad invicem, quando quilibet enarrabit alteri tuam Bonitatem & tuam Nobilitatem & tuam Justitiam & tuam Misericordiam, & quilibet enarrabit alteri hoc, quod fecit & dixit in hoc mundo? De ipsis placidis verbis, quæ habebunt inter se invicem, habebunt valde magnam complacentiam & valde magnam gloriam.

9. Quando beati, *Domine*, erunt in paradyso in corpore & anima, & audient cantus Angelorum & sui ipsorum, & considerabunt & percipient dulcedinem & concordantiam illorum cantuum & illarum vocum, & arbitrabuntur, & scient illos can-

tus

tus & illas voces nunquam debere cessare  
& deficere , tunc habebunt inter se ipsos  
tantam dulcedinem & tantam gloriam ,  
quòd non possent habere majorem.

10. d. *O Domine DEVIS, qui es iustus Judex in omnibus tuis judiciis, & qui es fidelis in omnibus tuis operibus ! Omne bonum, quod beati paradisi in hoc mundo fecerint pro tuo amore , memorabunt & scient , & de illa memoria & scientia habebunt valde magnam gloriam & beatitudinem.*

11. Non solum habebunt sancti paradiſi gloriam de bonis , quæ fecerint in hoc mundo, *Domine, verum etiam de peccatis;* quia, quando memorabunt , quòd Tu eis remiseris peccata , & nolueris eos punire propter ipsa, de hoc habebunt valde magnam gloriam.

12. De pœnis , quas peccatores sustinent in inferno, *Domine, habent gloriam sancti paradiſi;* quia per illas pœnas , quas sciunt , quòd peccatores sustineant , cognoscunt magnam gloriam , quam possident.

dent.

13. e. *Misericors Domine, plene omni Pietate & omni Misericordia!* Benedictus sis Tu, qui glorificabis Sanctos paradisi in sua agilitate; quia habebunt eam adeò magnam in se ipsis, quòd, quamprimum volent, erunt de una parte mundi in alia, & quoties volent esse in aliquo loco, statim erunt in eo, & per istam agilitatem adeò magnam sentient valde magnum placitum & valde magnam gloriam.

14. In hoc, quod sancti paradisi, *Domine*, sentient suam animam totam completam & perfectam, & non sentient in ea ullum defectum & indigentiam, habebunt gloriam & beatitudinem, quia scient suam animam pervenisse ad illud complementum & ad illam perfectionem, quam in hoc mundo desideraverunt.

15. *O Domine!* Quàm magnam gloriam sentient homines in paradiſo, quando in eo erunt in corpore & anima in hoc, quòd sentient suum corpus non indigere cibo & potu nec ullo medicamine, ut sit sanum,

fanum, imò habebit omne complementum,  
& erit exemptum ab omnibus miseriis &  
tribulationibus hujus miseri sæculi?

16. f. *Domine bone, Domine sancte, Domine virtuose!* Si sunt oculi, qui velint  
videre, & aures, quæ velint audire, & ora,  
quæ velint loqui, & corda hominum, quæ  
velint æstimare, veniant nunc, quia tan-  
tam gloriam, quantam beati possident in  
paradiso, non poterunt videre nec audire  
nec loqui nec æstimare.

17. Gloriam, quæ sit, *Domine*, sinè  
fine, & quæ nullo tempore cesset nec mi-  
nuatur, & quæ sit tanta, quanta est gloria  
paradisi, nulli sensus corporales nec ullæ  
sensualitates possent sufficienter attingere  
& comprehendere nec terminare per visum  
nec per auditum nec per verba nec per ar-  
bit rationem.

18. Cùm tantam gloriam & tantum  
placitum & beatitudinem habeant, *Domine*,  
sancti paradisi, benedictus sit, qui eis glo-  
riam dat, & benedicti sint, qui eam reci-  
piunt & possident & gratificant & cognos-  
cunt;

19. g. *Domine DEVS, qui es adoratus  
& invocatus & memoratus & cultus!* Adeò magna est gloria paradisi, quòd beati, qui sunt in hoc mundo, ex ea glorientur.

20. Nam, quando habent in hoc mundo tribulationes & anxietates & labores, statim cogitant & contemplantur, *Domine,* in gloria alterius sæculi, & habent de illa tantam dulcedinem & beatitudinem, quòd nihil reputent miseriam hujus mundi.

21. Si anima hominis, dum est in hoc mundo, in quo est tanta pœna & tanta tribulatio, habet, *Domine,* gloriam & placitum de gloria, quæ est in paradyso, quanta erit gloria, quam sentiunt beati, qui in eo sunt?

22. h. *Pie Domine, plene Misericordia & Gratiâ!* Satis infelices & miseri possunt reputari omnes, qui pro gloria hujus mundi perdiderunt gloriam alterius; quia non est, qui posset pejorem commutationem facere, quām qui pro hoc mundo perdit alterum.

terum.

23. Cúm gloria alterius sæculi, *Dominus*, non posset esse major nec melior, quàm sit, & gloria hujus mundi non posset esse vilior & miserior, quàm sit, nimis perdit, qui pro tam misera felicitate, sicut est ista, perdit tam gloriosam & mirabilem gloriam, sicut est illa.

24. Maxima stultitia & stupiditas, quæ possit esse, est, *Domine*, quando propter istam præsentem vitam homo contemnit & obliviscitur gloriam, quæ est sinè omni fine & sinè oīnni defectu.

25. i. *Æterne Domine, perdurabilis, in quo non est ullus defectus!* Adeò magnum complementum & magnam perfectionem habet gloria alterius sæculi, quòd, quantam homo velit, possit habere ; & in omni tempore, quo sit in hoc mundo, possit perquirere, quomodo eam possit habere, & in quocunque loco sit, possit eam lucrari.

26. Non est ita, *Domine*, de gloria mundana, quia est adeò caduca & misera, quòd non possit sufficere omnibus, nec omnes,

nes, qui volunt, possint eam habere, nec ullus homo habeat tantam, quantam vult habere, nec ullus homo possit eam habere, in quocunque loco vult.

27. Ratione magnæ magnitudinis, quam habet gloria paradisi, *Domine*, est de sua natura, quòd sufficiat omnibus; & ratione magnæ parvitatis, quam habet gloria hujus mundi, est de sua natura, quòd deficit omnibus, qui putat eam habere, habet multum laborem & multam pœnam.

28. K. *Patiens Domine, potens super omnes potestates, vigorose super omnes vires!* Sicut paradiſus habet proprietatem & virtutem & naturam, quòd omnes, qui in eo sunt, glorificantur; ita iste mundus habet proprietatem & defectum & naturam, quòd omnes, qui in eo sunt, torqueantur & affligantur & malè tractentur.

29. Cúm hic mundus habeat talem proprietatem & naturam, *Domine*, quòd torqueat omnes, qui in eo volunt habere beatitudinem, tuus subditus & tuus capti-

vus

vus renuntiat mundo totaliter, & non vult habere ejus gloriam & beatitudinem; & accipiat suam partem, quicunque velit.

30. Magno placito & magnâ satisfactione, *Domine DEVS*, Te laudo, & gratias Tibi ago, quia me fecisti cognoscere nobilitatem Gloriæ cœlestis & vilitatem & miseriam gloriæ hujus mundi; & benedictus sis, *Domine*, qui mihi fecisti gratiam perducendi ad finem istam Distinctionem, quæ est perfecta per tuum Auxilium divinum.

DISTINCT.




# DISTINCT. XXII.

DE PERFECTIONE NOSTRI  
Domini DEI.

CAPUT C.

QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVIS sit perfectus in sua Essentia  
divina.

I.  
a.



DEVIS gloriose, perfecte  
in omnibus perfectionibus:  
Tuæ sanctæ Perfectioni,  
Domine, sit gloria & ho-  
nor omni tempore, quæ  
demonstratur & mani-  
festatur in tua Æternitate; quia esse, quod  
est sinè principio & sinè fine, significat  
habere Perfectionem in se, cùm privatio  
ipsius esse significet defectum.

2. Cùm Tu, Domine DEVIS, sis so-  
lus sinè pari & socio, & nulla res, quæ est  
in

in *esse*, habeat virtutes & qualitates similes tuis; ideo demonstratur & manifestatur, quòd habeas omnem Perfectionem, & in Te nullus sit defectus.

3. Tua, Perfectio, *Domine DEVS*, laudetur & benedicatur, quæ demonstratur in Te ratione tuæ sanctæ Trinitatis; quia ratione Personæ Patris intelligimus tuam Potestatem esse perfectam, & ratione Personæ Filii intelligimus tuam Sapientiam esse perfectam, & ratione Personæ sancti Spiritus intelligimus tuum benignum Amorem esse plenum omni perfectione.

4. b. *Domine vere DEVS*, qui custodis & defendis beatos a falsitatibus & ab erroribus hujus mundi! In quibuscumque modis & viis homo possit cogitare & aestimare tuum gloriosum *esse*, Te percipit totum virtuosum & perfectum sínè omni defectu.

6. Antequam tempus esset in *esse*, *Domine*, jam eras totus perfectus; quia nullares erat, de qua Tibi veniret ullus defectus; & nunc, quando tempus est in *esse*, es totus

totus perfectus; quia nulla res est, quæ possit repugnare tuæ Perfectioni, cùm sis potens super omnes res; & quando tempus non erit in *esse*, etiam eris totus perfectus, quia nulla res poterit repugnare tuæ Voluntati.

5. Nulla perfectio, *Domine DEVS*, debet laudari & benedici respectu tuæ; quia tua non est in Te ab ulla alia re, nisi à tuamet Bonitate, & omnes aliæ perfectiones veniunt & derivantur à Perfectione, quæ est in Te.

7. c. *O Domine sapiens, misericors, pie, Creator & Salvator noster!* Ut tua Perfectione cognosceretur, est datum *esse* creaturis, & principalior causa, propter quam ipsæ sunt creatæ, est, ut cognoscant tuam Bonitatem; veruntamen, licet creaturæ sint ad cognoscendum tuam Perfectionem, tamen non sufficiunt ad cognoscendum totam ipsam; & hoc est, quia res creata non habet potestatem cognoscendi totum bonum, quod est in suo Creatore.

8. Cùm nulla creatura, *Domine*, pos-

sit

sit sufficere ad intelligendum & cognoscendum totam Perfectionem, quæ est in Te, quamvis ipsæ sint creatæ ad cognoscendum ipsam, per hoc tamen non demonstratur tuum Opus habere ullum defectum, imò demonstratur perfectius.

9. *Quia nostra cognitio est terminata, Domine*, ideo deficit in cognoscendo perfectionem, quæ non est terminata, imò est finè omni termino & finè omni fine, cùm sit impossibile rem infinitam posse totam comprehendendi à re finita.

10. d. *Patiens Domine, humilis & dulcis & simplex & suavis*: Qui habet potestatem super omnia possibilia & voluntatem super omnia volibilia, & vult, quidquid convenit esse volitum, & potest, quidquid est dignum esse possit, necessariò oportet, quòd sit totus perfectus.

11. *Qui est primus & ultimus, & est Creator & Benefactor omnium rerum, & possidet sub se omnes creaturas, & qui habet in se omnem perfectionem virtutum, necessariò oportet, Domine, quòd sit completus*

pletus & perfectus in omnibus bonis, quia ex nulla parte potest ad eum accedere ullus defectus.

12. Cúm per omnia ista & per multa alia significetur nobis, *Domine*, tuum Complementum & tua gloriosa Perfectio, magnam rationem habemus, ut in quantum possumus, Te amemus & honoremus & laudemus & Tibi gratias agamus propter magna bona, quæ nobis veniunt à tua Perfectione.

13. e. *O Sapiens Domine, liberalis, plene omnibus instructionibus & omnibus affabilitatibus!* Quia noster intellectus & nostræ vires non possunt sufficere ad laudandum nec ad amandum Te, nec ad contemplandum in Te secundum tuam Perfectionem; propterea non est, qui possit tantum Te amare & honorare & Tibi servire, quantum mereris.

14. Defectus, quem habemus, *Domine*, in amando & honorando Te, & in serviendo Tibi secundum quod pertinet ad tuam Perfectionem, non est in nobis ex parte

parte Tui, imò est in nobis ex parte nostri ipsorum, qui sumus res adeò imæ & parvæ, quòd nihil possit nos æquare tuæ Perfectioni & tuo Complemento? adeò altus es.

15. Sanctitas & benedictio, *Domine*, tribuatur tuæ Perfectioni; quia, sicut in Te non est defectus, quamvis non possimus Te intelligere adeò perfectum, sicut es, ita tua Perfectio non crescit nec melioratur, quamvis Te amemus & honoremus & laudemus.

16. f. *O Domine DEVS, in quo est tota nostra vita & totum nostrum remedium & totum nostrum bonum!* Sicut tuæ Essentiæ est proprium esse divinam & infinitam & æternam, ita est ei proprium esse perfectam.

17. Si tuo beato *Eſſe, Domine DEVS*, est propria res perfectio, nobis est propria & naturalis res defectus & fragilitas & miseria: igitur, cùm Tu sis perfectus & completus in omnibus bonis, & nos habeamus omnes defectus, quomodo potest esse, quòd cogitemus & memoremus nosmet ipsos plus, quàm Te?

18. De

18. De majoribus mirabilibus, quæ possint esse, est, *Domine*, quòd intendamus honorare & amare nosmet ipsos plús, quàm Te, cùm ita sit, quòd Tu sis perfectus, & nos simus defectuosí; quia ratione tuæ Perfectionis & ratione nostri defectus Tu es dignus amari & laudari & memorari, & nos sumus digni haberi in oblivione & contemptu.

19. g. *O Domine vere DEVS, qui Te humilias omnibus, qui Te invocant & adorant & benedicunt!* Quia omnia, excepto Te, habent principium, melius demonstratur Perfectio, quæ est in Te; nam, si essent Angeli & homines, qui æternaliter sínè principio Te adorarent & laudarent, non essemus adeò perfectus, sicut es nunc; quia non essemus supra ipsos in duratione & æternitate.

20. Si Tu, *Domine DEVS*, posses creare unum DEUM similem Tibi, non essemus adeò completus & perfectus, sicut es nunc, quando non potes facere DEUM æqualem tuæ Deitati; & hoc est ratione tuæ

348 B. Raym. Lulli Lib. Contempl.  
tuæ Perfectionis, quæ est adeò perfecta &  
abundans omnibus bonis, quòd impossibile  
fit aliam rem posse habere tantam perfec-  
tionem, quantam Tu habes.

21. Ratione tuæ magnæ Perfectionis  
evenit, *Domine*, quòd tuum *Esse* divinum  
non possit recipere ullam mutationem nec  
ullam alterationem ; quia nulla res , quæ  
habeat infinitam perfectionem , potest ha-  
bere in suo statu ullam mutationem vel al-  
terationem : igitur, quia ego, *Domine*, sum  
plenus defectibus , ideo potest meus status  
autari & alterari crescendo vel minuendo  
in perfectionibus & in defectibus.

22. h. *Domine honorate, Domine laudate,*  
*Domine, in quo perficiuntur & complentur*  
*omnia mea desideria & omnes meæ spes!* Qui  
vult percipere tuam magnam Perfectio-  
nem, aspiciat & attendat, quomodo omnia,  
quæcunque sunt creata & facta , indigeant  
Te in omnibus rebus & in toto tempore,  
in quo sunt, & videat, quām parūm Tu in-  
digeas omnibus rebus creatis & factis.

23. Sicut est improprium rei defectuo-  
fæ

ſæ ascendere ad Perfectionem ratione ſui defectus , ita , *Domine* , eſt proprium tuæ Perfectioni dare nobis perfectionem & complementum approximando nos ad ſe ipsam.

24. *O glorioſe Rex Gloriæ ! Quoniam ita eſt, quòd ſis tota noſtra Perfectio, & ego ſim res fragilis & miſera & captiva, placeat Tibi, Domine , ut de tua glorioſa Perfectione mihi veniat gratia & benedictio , quoque recipiam veram vitam in gloria de tuis gratiolis donis.*

25. i. *O Domine , qui es fidelis Amator, & qui es totus meus amor , & qui das meis oculis ploratus & meo cordi desideria ! Quoniam vides & ſcis meos defectus eſſe mihi causam obliviscendi Tui & inobedienti Tibi, peto à Te gratiam , Domine , ut tuæ Perfectiones & tuæ Virtutes ſint mihi cauſa fideliter amandi, & verè serviendi Tibi ; & placeat Tibi , quòd ego poſſim mori „ad dandum laudem de tua honorata Perfectione.*

26. *O Domine DEVS : Si à magnis flu-*

fluminibus exeunt & derivantur torrentes & rivi, similiter exit & derivatur à tua Perfectione omne complementum & omnis perfectio, quæ est in nobis: igitur placeat tuæ Perfectioni non habere vacuum nec indigentem gratiâ tuum servum & tuum benevolum.

27. Adeò tuus subditus & tuus captivus & tuus homo est egenus, *Domine*, & adeò indiget recipere gratiam & benedictionem à tua Perfectione, quòd omni die à Te petat, ut ei des; & omni die cum exaudis & ei das, & non das ei tantum, quòd non sit ei necessarium ultra petere, ut plus des.

28. K. *O Domine bone! O Domine misericors! O Domine liber, plene gratiâ!* Sicut est proprium tuæ Perfectioni dare & facere gratias & remissiones perfectè, ita est proprium nobis ratione nostrorum defectuum petere adjutorium & succursum à Te, qui es totum nostrum bonum & tota nostra salus.

29. Benedicta sit, *Domine DEVS,*  
tua

tua Perfectio & omne, quod à Te est; quia proprium est ei dare perfectionem rei, postquam dedit ei principium; & ratione istius proprietatis, quam ego scio in Te, ausus sum intrare in adeò magnum Opus, sicut est iste *Liber Contemplationis*.

30. „Nisi ego, *Domine*, in Te scirem „tantam Perfectionem, non aggressus es „sem principium hujus Libri, quod mihi „dedisti, quia est mihi nimis grave & one- „,rosum Opus; sed, quia confido in tua Per- „fectione, ideo audeo progredi omnibus „meis viribus in isto Opere, quod est *Ars* „*Contemplationis in nostrum Dominum* „*DEV M.*“

## CAPUT CI.

**QVOMODO NOSTER DOMINVS  
DEVS sit perfectus in omnibus suis  
Operibus.**

1. **J**ESV Christe Domine! Tibi detur glo-
2. **J**uria & laus omni tempore, & bene-  
dicta

dicta sint omnia opera, quæ fecisti in hoc mundo; quia quidquid fecisti, in quantum es DEUS, est perfectum & completum opus, & quidquid fecit tua Humanitas, est perfectum & completum sinè ullo defectu.

2. Unde, cùm tua gloria Essentia, *Domine Deus*, sit perfecta in omnibus rebus, necessariò convenit, quòd omnia tua opera sint perfecta & completa in omnibus bonis; quia non est ulla res illarum, quas facis, ex qua posset devénire defectus & diminutio tuæ sanctæ Essentiæ.

3. Si omnia opera tuæ Deitatis oportet, *Domine*, esse perfecta, idem est de operibus tuæ Humanitatis; & hoc est ratione conjunctionis ipsius cum Deitate, per quam conjunctionem est tanta virtus in tua Humanitate, quòd quidquid ipsa fecit & dixit in hoc mundo, oporteat esse completum & perfectum.

4. b. O Rex Regum! O Domine Dominorum! O Princeps Principum! Si pluvia est complementum & abundantia herbis siti-  
entibus

entibus super terram, quando venit opportuno tempore, similiter tua operatio est complementum & perfectio omnibus rebus, quæcunque sunt creatæ & factæ, quia deficiat in ulla creaturarum.

5. Sicut ratione magnæ Bonitatis, quæ est in tua Deitate, *Domine*, oportet omnia tua opera pervenire ad perfectionem, ita ratione magnæ Bonitatis tux Humanitatis oportet omnia opera, quæ sunt ex parte ipsius, pervenire ad tantam perfectionem, quod ultra eam non possit esse alia major & virtuosior.

6. Sicut omnia tua opera, *Domine DEVS*, veniunt ad perfectionem ratione magnæ Bonitatis, quæ est in Te, ita omnia opera, quæ ego feci intuitu mei amoris & honoris, venerunt ad defectum.

7. c. *Domine vere DEVS*, qui per lacrymas & ploratus & veras contritiones Te humilias ad remissiones! Omnia tua Opera sunt perfecta ratione intentionis, quam habes in omnibus eis; nam, quia operaris, ut videaris bonus, & ut sis amatus &

volitus & laudatus ; propterea dignum & justum est omnia tua Opera venire ad perfectionem.

8. Ratio, quare dignum & justum est, quòd opera, quæ peccatores faciunt in hoc mundo, non veniant ad perfectionem , est, *Domine*, intentio, quâ operantur; nam, quoniam ipsi faciunt id, quod faciunt, ut laudentur & honorentur, & habeant delectationes temporales in hoc mundo, est valde rationabile, quòd sua opera non veniant ad perfectionem, quia sua intentio est in defectu.

9. Unde benedictus sis, *Domine Deus*, à quo veniunt omnes perfectiones & omnia complementa , & nos simus vilipensi & reprehensi , quia putamus, quòd nostra opera veniant ad perfectionem , & veniunt ad defectum; &, quando putamus, quòd per ipsa videamur perfecti , demonstramur defectuosi & pleni peccato.

10. d. *Domine vere Deus*, qui inspirasti sanctos Prophetas in via Veritatis, & illuminasti beatos Apostulos in diversis linguis!

Non

Non adeò respicit homo dispositionem  
creaturarum, quòd possit in eis percipere  
ullum defectum ex parte Tui; quia nemo  
posset cogitare nec æstimare, quomodo  
ipsæ possent melius creari, quàm creatæ  
sunt.

11. Qui respicit, *Domine*, ordinatio-  
nem & dispositionem, in qua posuisti ho-  
minem ad lucrandum meritum gloriæ vel  
meritum pœnæ, non potest in ea invenire  
meliorationem, nec potest intelligere in ea  
ullum defectum ex parte Tui.

12. Qui bene velit considerare & æf-  
timare, *Domine*, ordinationem gloriæ para-  
disi & dispositionem pœnæ inferni, & velit  
cogitare, quomodo per gloriam paradisi de-  
monstretur tua Bonitas & tua Misericor-  
dia, & per pœnam inferni tua Justitia &  
tuum Dominium, & velit respicere, quo-  
modo per gloriam paradisi cognoscatur pœ-  
na infernalis, & per pœnam infernalem  
gloria paradisi, non poterit invenire nisi  
perfectionem tui Operis.

13. e. O *Domine DEVS*, qui es altus

*Do-*

*Dominus super omnes altitudines, & sapiens super omnes sapientias ! Sicut sensus corporales deficiunt ad progrediendum ultra terminum, intra quem sunt terminati, ita sensus spirituales deficiunt ad attingendum & percipiendum omnem perfectionem & complementum tui Operis.*

14. Tot sunt, *Domine*, tua opera & adeò diversa, & adeò magna est perfectio, quæ est in eis, quòd non sit sensus nec intellectus hominis, qui possit sufficere ad ascendendum ad altitudines & nobilitates & perfectiones ipsorum.

15. Sicut homo non habens oculos habet aliquam cognitionem de diversitatibus figurarum, quas palpat, & illam cognitionem habet ratione suæ palpationis; ita, *Domine*, nos intelligimus in parte perfectionem, quæ est in tuis operibus; sed sicut homo non habens oculos non potest percipere diversitates colorum, quia non habet oculos, ita nos non possumus percipere omnia bona & omnes perfectiones tuorum opererum, quia nostra cognitio est terminata in

cis.

eis.

16. f. *Amoroſe Domine, qui inamorasti me de tuo Amore & de tua Voluntate ! Si homo non potest ſufficere ad attingendum & intelligendum omnes defectus, qui ſunt in operibus hominum peccatorum plenorum defectibus : igitur imposſibile eſt, quod possit attingere omnem perfectionem tuorum operum venientium à tua Perfec- tione.*

17. Multoties inquisivi, *Domine*, per vicos & plateas & per alia loca, an possem invenire & videre ullam rem, quam homo fecerit, quæ ſit perfecta, & non tantum quæſivi, quod potuerim eam invenire ; &, ſi illam quæro omnibus meis sensualitatibus & intellectualibus, adhuc mihi non ſufficiunt ad inveniendum eam.

18. Ratio, quare omnia tua opera, *Do- mine D E V S*, ſunt perfecta, eſt, quia Tu es ſolus & omnipotens, & non eſt, qui po- ſit resistere tuæ Voluntati ; & propterea das perfectionem omni, cui vis ; ſed non eſt ita de nobis ; nam, quia ſumus multi & ha-

habemus differentes voluntates, & non habemus potestatem, nec scientiam perfectam, propterea nostra opera non possunt esse perfecta.

19. g. *O misericors Domine, plene dulcedine & pietate!* Quoniam Tu habes Potestatem dandi complementum & perfectionem omnibus rebus, „ & iste *Liber Contemplationis* est ad dandum laudem de tua „ Bonitate & de tua Perfectione, peto à „ Te gratiam, *Domine*, ut ipsum adducas ad „ perfectionem, quia ego non possem eum „ perficere sine tuo auxilio ; cùm meo cor „ pori deficiant sanitas & potestas, & meæ „ animæ intelligentia & scientia ad inveni „ endum novas rationes & nova dictamina „ ad complendum ipsum.

20. „ Si Tibi placeat, *Domine*, dare „ perfectionem isti Operi, quod est *Ars Contemplationis*, precor Te, ut istum Librum „ facias venire in diversas partes & in di „ versis loca, ut Catholici & homines Religiosi contemplantur in Te secundum Ar „ tem & modum hujus Operis.

21. *Om-*

21. Omnes illi, ad quos iste Liber per-  
veniet, Domine, dummodo diligenter velint  
contemplari in eo, poterunt cognoscere & per-  
cipere tuam Bonitatem & suam fragilita-  
tem; & quilibet poterit cognoscere, quænam  
lex sit vera, & poterit inamorare suam ani-  
mam, ut veniat ad Martyrium pro tuo Amo-  
re: igitur, cùm iste Liber sit occasio adeò  
magni boni, placeat Tibi ei dare perfectio-  
nem & ipsum remittere ad diversa loca.

22. h. Domine gloriose, qui salvas & de-  
fendis tuos amicos & tuos benevolos ab omni-  
bus malis! Nisi Tu essem in esse, ego non  
essem: igitur quoniam tuum gloriosum Esse  
est causa mei esse, peto à Te gratiam, ut  
adducas ad perfectionem omnia mea verba  
& omnia mea dictamina & omnia mea de-  
sideria.

23. Si ita sit, Domine, quòd tua perfec-  
tio sit perfectio omnium meorum verborum  
& omnium meorum dictaminum & omni-  
um meorum desideriorum, sequetur, quòd  
tota mea voluntas & tota mea potestas &  
omnes meæ vites & omnis mea intentio  
erunt

360 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*  
erunt in dando laudem de tua Perfectione,  
à qua omnia mea opera accipient perfec-  
tionem.

24. Si meæ preces & petitiones non  
sunt perfectæ in precando & petendo à Te,  
*Domine*, Tibi, qui perficis omnia , placeat  
eas acceptare , sicut si essent perfectæ ; nam,  
quoniam ego facio , quod possum in pre-  
cando Te & petendo à Te, in tantum de-  
bet suscipi, sicut si perfectè precarer & pe-  
terem.

25. i. *Domine vere D E V S, qui amas & il-*  
*luminas & salvas omnes illos, qui Te amant !;*  
,,Cúm tuus servus peragraverit multa loca  
,,plana & montuosa, & multa loca deserta  
,,& populata , & multas aquas dulces &  
,,salsas, & multoties viderit opera Regum  
,,& altorum Baronum, plús laudari & me-  
,,morari , quàm tua, valde miratus est.

26. Nam valde miror, *Domine*, quòd  
plures homines sint laudatores & memora-  
tores operum plenorum defectibus & veni-  
entium à defectibus , quàm operum perfec-  
torum & sumentium perfectionem in tua

Per-

## Perfectione &amp; Bonitate.

27. Qui laudant honoratos homines in rebus, in quibus eos vident bonos, etiam deberent ipsos vituperare in rebus, in quibus vident eos defectuosos & vitiosos; sed ipsi, *Domine*, hoc non faciunt, & omittunt laudare tua opera, in quibus non est ullus defectus nec ulla diminutio.

28. K. O *Domine DEVS*, in quo est omnis *Fortitudo* & omnis *Virtus* & omnis *Veritas* & omnis *Benedictio*! Si ita esset, quòd opera, quæ homines faciunt, essent æquè perfecta sicut tua, non esset mirum, si multúm laudarentur, sed cùm homo videat tua opera esse perfectiora omnibus aliis, propterea debet nobiliús ipsa laudare, quàm omnia alia.

29. Quia tua opera, *Domine*, sunt omnia in perfectione, propterea quòd plús homo ea laudat, eo plús aceedit ad perfectionem, & recedit à defectu; sed non est ita de nostris operibus; nam, quia omnia ipsa sunt in defectu, propterea, quòd plús homo ea laudat, eo plús recedit à perfectione & ac-

cedit

30. Cùm tua opera, *Domine DEVS*,  
sint omnia perfecta finè ullo defectu, &  
nostra sint omnia defectuosa, nolo laudare  
ulla alia, nisi tua, & me do & offero ad lau-  
dandum Perfectionem, quæ est in omnibus  
operibus factis & ordinatis à tua Essentia  
divina.

## CAPUT CII.

**QVOMODO OMNIS NOSTRA**  
perfectio sit in Perfectione nostri Domini  
**DEI.**

1. **O** *DEVIS* gloriose, honorate super om-  
nes honorationes, potens super om-  
nes potestates! Tu es omnis nostra perfec-  
tio, quia Tu, *Domine*, nos creasti & nos  
vivificas & nos sustines & nobis das omnia  
necessaria in hoc sæculo & in altero.

2. Sicut privationi est improprium *esse*,  
ita, *Domine*, est improprium nobis posse re-  
cipere perfectionem ab ulla alia re, nisi à  
Te:

Te: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, sicut vacuitas non potest inveniri in re plena, ita nostrum complementum non potest inveniri in ulla alia re, nisi in tua Perfectione.

3. Si nos simus tristes & desolati & irati, Tu, *Domine*, nos lætificas & diriges & consolaris & placas & inamoras, & Tu nobis succurris & nos adjuvas in omnibus nostris defectibus & in omnibus nostris necessitatibus.

4. b. *O liberalis Domine, virtuose, plene omnibus Bonitatibus & omnibus Perfectiōnibus!* Benedictus sis Tu, qui es adeò perfectus in Te ipso, quòd tua Perfectio sit nobis tanquam fons vivus, in quo satiantur omnes bibentes ex eo.

5. Omnes, qui sunt infirmi & contraci-  
ti & pauperes & ignorantes & malè se ha-  
bentes propter defectus hujus mundi, *Domi-  
ne*, possunt invenire sanitatem & integri-  
tatem & vitam & divitias & scientiam in  
tua gloriosa Perfectione, & nullius rei, qua  
sit ad bonum & utilitatem sui corporis &  
sux

sue animæ, in Te invenient defectum.

6. *Omnium bonorum & omnium virtutum, quorum & quarum est in nobis, Domine, indigentia, est in Te adeò magna abundantia, quòd non posset esse major, quam sit.*

7. c. *O Domine Deus, qui es vera Lux & verus Splendor, a quo recipiunt lucem & splendorem omnes aliae luces & omnes alii splendores! Nos putamus venire ad perfectionem per habere divitias & sanitatem corporis & per habere corporalem fortitudinem & pulchritudinem; & quando putamus habere perfectionem per istas res, invenimus nos plenos defectibus, quia omnes sunt plenæ defectibus.*

8. *Et ideo, Domine, omnes invenimus nos deceptos in rebus corporalibus; quia, quòd plures earum congregamus & possidemus, eò plures defectus habemus; nam quoniam ipsæ non sunt sinè defectibus, quòd plures homo habet, eò plús est propinquus & conjunctus defectibus.*

9. *Igitur stultus est, Domine, qui putat*

tat invenire perfectionem in divitiis, quia mors eas aufert; & stultus est, qui putat invenire perfectionem in pulchritudine & fortitudine corporis, quia infirmitas eas destruit & debilitat; & stultus est, qui putat invenire perfectionem & felicitatem in vana gloria & delectatione hujus mundi, quia plus poenæ & miseriæ est in eis, quam felicitatis & gloriæ.

10. d. *Domine vere DEVS, qui es virtuosus super omnes virtutes & bonus super omnes bonitates! Qui est inquisitor plenitudinis & perfectionis, inquirat eas in Te & non in ulla alia re; quia, quoties eas inquiret in Te, poterit eas invenire, & non inquiret tantum in alia re, quod possit eas invenire.*

11. Quotiescumque putamus accipere plenitudinem & perfectionem ab ulla alia re nisi à Te, Domine, toties cadimus in defectum & indigentiam, & sumus similes illi, qui querit ignem in aqua & aquam in igne.

12. Qui vult plenitudinem benedictionis

tionis & gratiæ, veniat ad inquirendum  
eam in Te; quia in Te inveniet omnem  
plenitudinem & perfectionem ; & qui vult  
esse pauper & miser & infelix , inquirat  
suum bonum & suam utilitatem , ubi non  
est, & ubi est suum malum & sua destruc-  
tio.

13. e. *O Domine DEVS, qui cooperis*  
*& vestis gratiâ & benedictione omnes, quos*  
*vis!* Sicut est improprium & contra natu-  
 ram ; quòd à privatione possit derivari &  
 exire plenitudo & perfectio, ita est pro-  
 prium & secundum rationem & naturam,  
 quòd à tua Perfectione veniat perfectio &  
 plenitudo omnibus nobis.

14. De nulla re, quæ habeat principi-  
 um & finem , potest venire complemen-  
 tum & perfectio ; cùm nulla res , in qua sit  
 defectus , possit esse causa perfectionis &  
 complementi : igitur, cùm Tu, *Domine* , sis  
 infinitus & aternus, oportet Te esse causam  
 nostræ perfectionis & nostri boni & nostræ  
 salutis.

15. Si Tu, *Domine DEVS*, es perfec-  
 tio

tio & complementum omnium nostrum ratione tuarum honorificentiarum & tuarum nobilitatum, nos sumus deficientes & pauperes & miseri ratione nostræ pauperis potestatis & nostræ magnæ miseriæ & fragilitatis: igitur ratione hujus oportet, quod nostrum bonum & nostram restaurationem in Te inquiramus & à Te petamus & à Te speremus.

16. f. *Cælestis Domine, in quo est Trinitas Personarum, & Vnitas Essentiae;* Si nos recipimus perfectionem à Te lætando in tuis Virtutibus & in tuis Perfectionibus, etiam possumus eam recipere plorando nostra peccata & nostros defectus, & confitendo nostras culpas: unde benedicta sit talis Perfectio, qualis est tua, quia omnibus modis potest homo recipere perfectionem à Te, & in Te.

17. Cùm nostra perfectio, *Domine DEVS,* non sit in ulla alia re, nisi in Te, nullatenus possumus eam invenire inquirendo extra Te, sive inquiramus per viam lætitiarum, sive per viam tristitiarum; sed in Te

om-

omnibus modis & omnibus viis invenit  
homo esse nostram perfectionem.

18. Et ideo, *Domine*, tuus subditus &  
tuus servus lætando, contemplando, aman-  
do & desiderando quærerit in Te suum com-  
plementum, & suam perfectionem, & ocu-  
sis lacrymosis & corde pœnitente suorum  
gravium peccatorum & suorum mortali-  
um defectuum Te orat & precatur, ne sis  
ei absens, quia in alio non est suum bonum  
& sua salus, nisi in Te.

19. g. O Domine vere *D E V S*, in quo in-  
veniunt remedium & requiem omnes sancti  
& sanctæ paradisi! Sicut tua Deitas est per-  
fectio omnium nostrum ratione magnæ Bo-  
nitatis, quæ est in Te, ita sancta Humanita-  
tas, quam assumpsisti in nostra Domina  
sancta MARIA, est perfectio & comple-  
mentum omnium nostrum.

20. Adeò magnam honorationem &  
exaltationem recepit, *Domine D E V S*, tua  
Humanitas per conjunctionem Deitatis,  
quòd omnes nos inde fuerimus exaltati &  
elevati, & quòd plús ipsa fuit honorata &  
no-

nobilitata, eò plús fuimus perfecti & nobilitati pér eam.

21. Quia conjunctio tuæ Deitatis & tuæ Humanitatis, *Domine Deus*, non habet finem, nobilitas & perfectio, quam recipimus à tua Humanitate, est majoris dignitatis & majoris nobilitatis, quàm esset, si conjunctio tuæ Deitatis & tuæ Humanitatis haberet finem.

22. h. *Pie Domine, misericors, plene gratiâ & indulgentiis:* Quoties meæ considerations & meæ recordationes & mea desideria sunt extra Te, toties invenio meani animam vacuam & vanam & plenam defectibus; & quamprimum verto meam considerationem & meam memoriam ad tuas Perfectiones, eam invenio plenam & completam in ipsis.

23. Quid prodest homini cogitare & respicere viridaria & flores & ripas & prata & villas & castella & alias pulchritudines? nam quantumcunque homo, *Domine*, cogitet & respiciat istas res, non poterit invenire, nisi indigentias & defectus & fragili-

24. Sicut gallina frustra volvit & re-volvit paleas in quibus nullum est granum, ita, *Domine*, frustra laborat, qui inquirit perfectionem & complementum in alia re, nisi in Te; quia in omni alia re sunt manifesti defectus, si bene perpendatur; & in Te est tanta Perfectio, quod sufficiat omnibus nostris necessitatibus.

25. i. *Glorioso Domine, qui es potens salvare omnes, quos Tibi placet salvare!* Quid valet homini vani-glorioso velle demonstrare perfectionem in suis verbis & in suis operibus & in suis pulchritudinibus & in suis divitiis? quoniam, quod plus putat demonstrare se nobilem & perfectum, eodem plus monstrat se vilem & plenum defectibus, cum in omni, quod facit, sit defectus.

26. *Amoroſe Domine, plene Veritate & Gratia!* Sicut per magnam siccitatem exsiccantur fontes & paludes, & moriuntur herbae, ita per perfectionem, quam inquirimus in nobis ipsis, crecent & multiplicantur in nobis nostri defectus; sed sicut per magnam abund-

abundantiam pluviae implentur paludes & fontes & torrentes, ita per hoc , quòd inquiramus nostras perfectiones in Te , omnes nostri defectus vertuntur in perfectiones.

27. *O Domine* ! Beati sunt omnes, qui suam plenitudinem & perfectionem inquirunt in Te & petunt à Te; quia ibi eas inquirunt, ubi possunt eas invenire; & miseri sunt omnes , qui ab alio putant habere ullum bonum & ullam benedictionem ; quia nunquam habebunt id, quod volunt, nec habebunt, à quo recipient ullum bonum & perfectionem.

28. K. *Fortis Domine super omnes fortitudines , vigoroſe super omnes potestates* ! Nullus homo, *Domine* , potest dare perfectionem rei, quam incipit, nisi habeat voluntatem & potestatem & scientiam ; quia nullum bonum opus venit ad utilitatem & perfectionem sine istis tribus rebus.

29. Cúm per tuam gratiam , *Domine DEVS*, inceperimus istam *Artem Contemplationis*, & per tuam Potestatem & per tu-

am

am Sapientiam & per tuam Voluntatem  
perfecerimus secundum Librum & primum  
Volumen , peto à Te gratiam, ut Tibi pla-  
ceat dare perfectionem & complementum  
aliis Libris & aliis Voluminibus.

30. Tibi, Domine D E V S , sint laus &  
gloria & gratiarum actiones , qui dedisti  
tale complementum & talem perfectionem  
haic Arti Contemplationis, „quòd ipsa sit  
„sufficiens sapientibus & ignorantibus, Re-  
„ligiosis & sacerdotalibus, divitibus & pau-  
„peribus , ut quilibet possit contemplari se-  
„cundum suum modum & dispositionem  
„per istum Librum in tua gloria Essentia  
„divina.

PERFECTUM EST PRIMUM  
VOLUMEN LIBRI CONTEM-  
PLATIONIS AD GLORIAM  
ET LAUDEM NOSTRI  
DOMINI DEI.

# INDEX

TITULORUM TOMI III.

VOLVMEN I.

LIBER II.

DISTINCTIO XIV.

*De divino Dominio.*

- CAP. 66. Quomodo sit conveniens & rationabile nostrum Dominum DEUM esse Supremum Dominum per exaltationem Nobilitatis      fol. 1.
67. Quomodo DEUS mereatur habere dominium, quia est Benefactor.      11.
68. Quomodo DEUS mereatur esse noster Dominus , quia nos redemit.      20.

DIS-

## DISTINCTIO XV.

*De divina Sapientia.*

- CAP. 69. Quomodo DEUS sit sapiens  
in sua Essentia. fol. 31.
70. Quomodo DEUS sit sapiens in  
omni eo, quod facit. 41.
71. Quomodo Sapientia DEI extra-  
hat de malo bonum. 51.

## DISTINCTIO XVI.

*De divina Justitia.*

72. Quomodo noster Dominus DEUS  
sit justus in se ipso. 63.
73. Quomodo DEUS sit justus in An-  
gelis & in dæmonibus. 72.
74. Quomodo DEUS sit justus in ho-  
minibus divitibus, & in pauperi-  
bus. 81.
75. Quomodo DEUS sit justus inter  
hominem injuriantem & hominem  
in-

# INDEX.

- injuriatum. 375.  
fol. 91.
- CAP. 76. Quomodo noster Dominus DEUS sit justus inter hominem justum , & hominem peccatorum. 100.
77. Quomodo DEUS sit justus in hominibus Catholicis & in infidelibus. 110.

## DISTINCTIO XVII.

### *De Largitate nostri Domini DEI.*

78. Quomodo noster Dominus DEUS sit largus erga omnes creaturas. 122.
79. Quomodo noster Dñs DEUS sit largus erga hominem , quia dedit eis esse humanum. 130.
80. Quomodo noster Dominus DEUS sit largus, quia dat hominibus bona temporalia. 139.
81. Quomodo noster Dominus JESUS Christus fuerit largus de sua benedicta Humanitate. 148.
82. Quo-

CAP. 82. Quomodo noster Dominus  
DEUS sit largus ratione magnorum  
donorum, quæ dat in para-  
diso. fol. 157.

## DISTINCTIO XVIII.

*De Adjutorio, quod noster Dominus DEVS  
facit hominibus.*

83. Quomodo noster Dominus DE-  
US adjuvet omnes illos, qui pro ejus  
amore laborant. 167.

84. Quomodo noster Dominus DEUS  
adjuvet homines libenter facientes  
eleemosynam pro amore sui. 177.

85. Quomodo noster Dominus DE-  
US adjuvet homines justos à suis  
mortalibus inimicis. 187.

86. Quomodo noster Dominus DE-  
US adjuvet omnes illos, qui faciunt  
pœnitentiam. 197.

DIS-

INDEX.  
DISTINCTIO XIX.

377

*De Humilitate, quæ est in nostro Domino  
DEO.*

- CAP. 87. Quomodo noster Dominus DEUS se humiliaverit, quando assumpsit humanam carnem. fol. 207.
88. Quomodo noster Dominus DEUS fuerit humilis in hoc mundo in omnibus suis operibus. 217.
89. Quomodo noster Dominus JESUS Christus fuerit humilis in omnibus suis verbis. 226.
90. Quomodo noster Dominus JESUS Christus fuerit humilis in sua sancta Passione. 236.
91. Quomodo noster Dominus DEUS se humiliet homini per opera sacrificii. 247.
92. Quomodo noster Dominus DEUS se humiliet orationi hominum. 257.

B b

DIS-

INDEX.  
DISTINCTIO XX.

*De magna Misericordia divina.*

- CAP. 93. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors ratione suæ magnæ Bonitatis. fol. 268.
94. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors ratione precum, quæ ei fiunt. 278.
95. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors ratione nostrarum magnarum necessitatum. 288.
96. Quomodo noster Dominus DEUS sit misericors erga omnes illos, qui in sua Misericordia confidunt. 297.

DISTINCTIO XXI.

*De Gloria paradisi.*

97. Quomodo homo glorificetur in divina Essentia. 309.
98. Quomodo homines justi in paradi-

# INDEX.

379

diso glorificabuntur in Humanitate  
nostrī Domini DEI JESU Chri-  
ti. fol. 319.

CAP. 99. Quomodo Beati paradisi glo-  
rientur in suamet beatitudine. 330.

## DISTINCTIO XXII.

### *De Perfectione nostri Domini DEI.*

100. Quomodo noster Dominus DE-  
US sit perfectus in sua Essentia di-  
vina. 341.

101. Quomodo noster Dominus DE-  
US sit perfectus in omnibus suis  
operibus. 351.

102. Quomodo omnis nostra perfec-  
tio sit in Perfectione nostri Domini  
DEI. 362.



18.2222

654